


~~Q. 17. 12.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

17-50.

SIGNAT. c155cccXIII.



CONFESSIO
ECCLESIARVM
SAXONICARVM IN
TRANSYLVANIA, DE
COENA DOMINI:

7 15

† ac Hungaricis
pagina sequ. s.

ANNO 1561, MISSA, ALLATA,
ET EXHIBITA ACADEMIIS,
LIPSENSI, VVITENBERGENSI,
ET ROSTOCHIANAE.

ET HARVM DE ILLA
CONFESSIONE

CENSURA,
NECESSARIA HODIE ET
vtilis omnibus veritatis & pietatis
studiofis.

Cum breui prefatione
NICOLAI SELNECCERI D.



LIPSIÆ
Excudebat GEORGIUS DEFNER,
ANNO

M. D. LXXIII.

10. 732

COLLEGIUM
SAXONICUM
TRIPLEX
GOMMIS

ANNO DOMINI
ET EXHIBITA
LITTE

ET HAKM DE ILLA
GOMMIS

NECESSARIA
LITTE

Commissarius
LITTE

LITTE

LITTE
LITTE

LITTE



REVERENDIS
ET CLARISS. VIRIS
SUPERINTENDENTIBVS,
DECANIS ET PASTORIBVS
ECCLESIARV M SAXONICARVM
in Transylvania, &c. Dominis & fratrib. SS.
in CHRISTO reuerenter
honorandis,

Nicolaus Selneccerus S. P. D.

REVERENDI VIRI, DO-
mini & fratres colendi.
Annus iam elapsus est,
ex quo Reuerendus Vir,
M. Petrus Glaferus, Ec-
clesiastes Dresdensis,
pia memoriae, mihi communicauit
autographon manu Reuerendi & Cla-
riss. viri, D. D. Pauli Eberi, Superinten-
dentis Vvitebergensis, τῶν ἀγίων, exara-
tum, & singulorum Theologorum, in
Lipsensi & Vvitebergensi Academia,
A 2 sub-

P R Æ F A T I O.

subscriptione approbatum, quo vestrarum Ecclesiarum Confessio de Cœna sacrosancta Dominica, à sereniss. Rege Iohanne secundo, &c. laudatissimæ recordationis, ante annos viginti tres huc missa, vnanimi consensu confirmata, & contra Sacramentarios seu Caluianos, ex sacrarum literarum testimonijs euidentissimis asserta & defensa fuit. Memini, quàm suaui salutatione me tum temporis, anno scilicet 1561. Torgæ cum essem, & aulæ Electorali seruirem, legati vestri, D. Georgius Christianus, & D. Nicolaus Fuchsius, dignati fuerint, & meam quoque peculiarem censuram de confessione vestrarum Ecclesiarum petierint, quam non grauatim illis impertij. Cùm autem iam Confessio vestra vnà cum responso Lipsensi, Vvitebergensi & Rostochiano, denuò subijcienda prælo ef-

P R Æ F A T I O.

lo esset, propter causas necessarias & graues, quæ in historia exponuntur edita de controuersijs Sacramentarijs, omnino statui, editionem nominis vestri autoritate adornandam esse. Vestra enim est Confessio: merito igitur nomen vestrum profitetur, & simul testatur, vos illius Confessionis repetitione esse & manere in vna & eadem doctrina & fide nobiscum, in qua, cum in hac vita conuenire, & vnà viuere nobis non liceat, disiunctis locorum & vocationum ratione, coram Filio Dei & hominis, conueniemus læti, & in æternum vnà viuemus. Cùm etiam ex literis Reuerendi, & Clariss. Viri, Domini Christiani Schesæi intelligerem, qua beneuolentia & ipse me prosequatur, & vestræ dignitates erga me affectæ sint, audacior sum in hoc meo proposito, nihil aliud petens, nisi vt ani-

A 3 mi mei



PRÆFATIO.

mi mei declarationem, & officium
hoc meum consulatis, & interprete
minico animo, quo Ecclesijs nostris
fauetis. Adijciendum quoque car
men D. Schefæi esse censui, vt bene
uolentia nostra mutua publico testi
monio confirmaretur, & preces no
stræ coniunctæ Deo instarent, vt Ec
clesiam sibi deinceps, etiam colligat,
& feruet in Germania, & Transylua
nia, & huic multos alios populos ad
iungat: quod vt fiat, Faxit Filius Dei,
Emanuel, Dominus noster Iesus
Christus, cuius tutelæ vestras digni
tat. & pietat. commendo. Orate pro
me orante pro vobis. Lipsiæ anno
1584. die Epiphaniarum, quo ante
annos ferè 414. Berengarius pri
mus Sacramentariorum, in Gallijs
obiit, exclamans: (vt Gerson comme
morat) hodie comparebo coram Do
mino meo IESV Christo, incertus,
num

P R Æ F A T I O,

num damnandus , num saluandus
sim: Sperans tamen salutem, & si-
mul metuens damnationem , cum
multos, iuuenes & senes seduxe-
rim, quos in viam rectam
reuocare non
potui.



CON

PRÆFATIO

nam habundans, cum salubris
um: Sacrae scripturae salubris, & ha
mū: sacrae doctrinae salubris, cum
mū: sacrae doctrinae salubris, cum
mū: sacrae doctrinae salubris, cum
mū: sacrae doctrinae salubris, cum
mū: sacrae doctrinae salubris, cum



COPIA



I
C O N F E S S I O
E C C L E S I A R V M
S A X O N I C A R V M I N
T R A N S Y L V A N I A , D E
C o e n a D O M I N I .

AGNOSCIMVS, ET GRATA
mente prædicamus ingens benefici-
um D E I, quòd ex immensa miseri-
cordia in hac calamitosa patria no-
stra, quæ Turcarum faucibus ferè in-
hæret, Ecclesiam sibi colligat per vocem Euangelij,
& legitimum vsum Sacramentorum, eamq; in tantis
ruinis rerum politicarum clementer conseruet: Quæ
etsi variè infestatur, non solùm armis Turcicis, sed
etiam insidijs Sathanæ; confidimus tamen in Domino
I E S V, aduersus eam ne portas quidem inferorum
præualituras, sicut dulcissimè eam consolatur per
Prophetam: Se gestaturum Ecclesiam in senectâ, &
ad canos vsque, & collecturum, sicut Pastor teneros
agnos in sinu gerit. His promissionibus confirmati
etiam præsentis difficultates & labores, forti animo
perferimus, nec adeo mouemur furiosis clamoribus
Sacramentariorum, qui in his partibus nuper excitati,
Ecclesiarum nostrarum piam & sanctam concordiam
turbare cœperunt, vt animos & clypeum abiecerimus.
Etsi insania eorum eousque processerit, vt in plerisque
locis non solum vulgi animos, sed etiam primatum
mirabiliter sauciarint. Parcat illis D E V S, & indat
B aliquan-

aliquando saniores mentem, ut argutius rationis humanae postpositis, Verbo DEI denuo adhaereant, & in eodem simpliciter acquiescant.

Cum autem haecenus satis acerbae utrinque concertationes fuerint, nosque quantum potuimus ab Ecclesijs nostris errorem illorum depulerimus, nec quicquam tamen apud obstinatos istos hypocritas effecerimus, cogimur tandem extrema necessitate, ut Ecclesijs nostris consulamus, ac praesentem concordiam, quae haecenus DEI beneficio inter nos fuit, tueamur. Qua quidem in re nobis non defuit pium & sanctum studium Illustrissimi & Clementissimi Principis nostri, qui, ut finem aliquando rixis imponeret, placide annuit, ut conscripta summa doctrinae de Coena Domini, mittatur ad certas Ecclesias atque Academias Germaniae, atque inde iudicium super utriusque partis assertione petatur. Huic igitur pio animo Serenissimi Principis nostri, summa qua decet reuerentia obtemperare volumus, & hoc breui scripto summam comprehendere, quid Ecclesijs nostris in Transyluania iam aliquot annos proposuerimus, & nunc DEI beneficio proponamus de S. Coena Domini: Quam quidem Confessionem non dubitamus consentire verae doctrinae uestrarum Ecclesiarum, cum ingenuè agnoscamus nihil in nobis esse, quod non uestris pijs & paternis institutionibus, & imprimis scriptis Reuerendi patris Lutheri, & praepetoris charissimi Philippi Melanthonis acceptum ferri debeat.

Hanc autem Confessionem communi nomine Ecclesiarum, tam Saxonicarum quam Hungaricarum, quae ijs in vera sententia coniunctae sunt in Transyluania, exhibemus, ac reuerenter petimus a uestris pietatibus

tatibus, ut propter gloriam Filij DEI, ac summam Ecclesiarum necessitatem difficultatibus nostris vestro grauissimo iudicio & pijsimo consilio succurratis, qua quidem in re, non tam Principi nostro Serenissimo, & nobis, quam Filio DEI sacrificium gratissimum præstabitis, qui & laborum vestrorum mercedem condignam suo tempore largiturus est.

Ac primum fatemur, Coenam Domini esse actionem sacram à Christo in vltima Coena institutam, in qua post integram verborum recitationem nobis cum pane & vino verè & substantialiter exhibet suum corpus edendum & bibendum in eum finem, ut in nobis exuscitet memoriam salutiferæ suæ passionis, fidemq; accendat, qua certo statuamus, illum nobis velle vni-ri, peccata remittere, & ad æternam vitam resuscitare.

Quid?

Hanc definitionem, quia ex verbis Filij DEI desumpta est, non iudicamus meritò posse improbari, nihilominus tamen ne cuiquam ansam cauillandi præbeamus, eam clarius explicabimus.

Diuerfa sunt vocabula huius sacratissimæ actionis ab Ecclesia primitiua vsurpata, quæ aut à causa efficiente, aut materiali, aut formali, aut finali denominationem habent.

Quid nominis?

Latina Ecclesia appellat eam mensam domini, eò quod Dominus auspicatorum mortem suam, vna cum discipulis mensæ affidens hoc suum testamentum condidit, distribuens corpus & sanguinem cum pane & vino.

Mensa Domini.

Græca Ecclesia nominat κοινωνίαν à causa materiali. Ideo enim communicatio dicitur, quia ibi communicantur nobis ea bona, quæ Filius DEI promittit,

κοινωνία.



4 CONFESSIO TRANSYLVANICA

tit, sicut & Paulus I. Corinth. 10. inquit: Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis CHRISTI est?

σύνταξις. *Σύνταξις* quoque vocant à causa formali, quòd in congressu publico & honesto Ecclesiae DEI administratur.

Ευχαριστία etiam nominant à causa finali. Requirit enim Filius DEI, vt in hac sacra aetione reuocemus in memoriam illius mortem, & beneficia per eam nobis collata, grata mente recolamus. Sed de hac diuersitate vocabulorum nullas mouemus *λογομαχίας*. Neque enim res est magni momenti, quo nomine hanc sacram Coenam vocemus, modò institutionem Filij DEI & verum vsum retineamus.

Causa efficiens.

Deinde non arbitramur quenquam hoc negare, quòd Filius DEI author sit huius Sacramenti, cum tres Euangelistae & diuus Paulus hoc manifestè exprimant. Quod quidem scitu necessarium est hanc ob causam, ne sibi quisquam vsurpet eam potestatem aliquid mutandi in Testamento Christi, sicut Paulus ad Galat. inquit: Tamen hominis Testamentum confirmatum nemo rescindit aut superordinat, &c. Manifestum est ergo, eos esse violatores testamenti Christi, qui alteram partem Coenae Laicis porrigendam prohibuerunt. Quapropter ne simul cum eis institutionem CHRISTI violemus, eorum dogma tanquam contrarium verbis CHRISTI reijcimus.

Vtraque species.

Asserimus autem vsum vtriusque partis ad vniuersam Ecclesiam pertinere, sicut CHRISTVS inquit: Bibite ex hoc omnes. Et Paulus scribès ad totam Ecclesiam Corinthiorum verba CHRISTI reperit. Constat

Constat etiam primitiuam Ecclesiam vtraq; parte Sacramenti vlam esse. Cyprianus multis in locis testatur populo sanguinem Christi datum esse, vt ad Cornelium Papam, scribens: Quomodo docemus aut prouocamus eos in Confessione CHRISTI sanguinem suum fundere, si eis militaturis CHRISTI sanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius in Ecclesia ad bibendum poculum Domini iure communicationis admittimus? Et Hieronymus inquit: Sacerdotes Eucharistiæ ministrent, & sanguinem Christi populis diuidant. Idem apparet in historia Theodosij excommunicati ab Ambrosio, Hist. Eccles. lib. 9. cap. 13. Denique in decretis habetur insignis Canon Gelasij, de conse. dist. 2. præcipientis, ne sacrilegium committatur in mutilanda institutione CHRISTI. Canone, Comperimus autem quòd quidam, &c. Item, Calixtus dist: 2. Canone, Peracta consecratione, &c. Cùm igitur verba Filij DEI & exempla veteris Ecclesiæ testentur, vtramque partem Sacramenti datam esse communicantibus Sacerdotibus & Laicis, non possumus sine periculo animarum ab institutione CHRISTI declinare.

Porro quod dicimus in definitione post recitationem verborum in Coena Domini nobis cum pane & vino verum CHRISTI corpus & sanguinem exhiberi, duplici de causa facimus. Primum vt inter nostram Confessionem distinguamus, & eorum, qui dicunt: Panem post consecrationem inire naturam & conditiones corporis CHRISTI, quod vsitate vocant Transubstantiationem, vel annihilationem panis manentibus accidentibus sine subiecto. Contra

eorum opinionem apertè fatemur, materiam panis nulli alterationi subiectam esse, etiam post consecrationem, sed manere elementa in sacra Coena, & tamen reuera cum illis visibilibus elementis nobis verum corpus CHRISTI & sanguinem dispensari, idque omnipotentia verbi: Accipite, comedite, hoc est corpus meum: Atque hæc causa est, cur Paulus hanc sacram Coenam nunc panem & vinum. Item, Corpus & sanguinem Domini, mutatis subinde vocabulis, nominet. Et Irenæus ex duabus rebus εὐχαριστίας constare affirmat, terrena & cœlesti, id est, elementis visibilibus, deinde corpore & sanguine Domini inuisibilibus. Hanc etiam ob causam utimur in Ecclesijs nostris his formis loquendi, in pane, sub pane, cum pane, ne auditores delabantur in eam opinionem, quasi substantia panis adnihiletur, manentibus solis accidentibus, quæ phrasæ apud Patres, ut Tertullianum, Epiph. quoque reperiuntur: sicut & Augustinus inquit: Hoc accipite in pane, quod pendit in cruce, Hoc accipite in calice, quod effusum est de CHRISTI latere.

Neque verò hanc vim tribuimus recitationi verborum, tanquam incantationi Magicæ, sicut falsò accusamur à Sacramentarijs, sed omnipotenti voluntati Filij DEI. Fatemur autem in Coena Domini verborum recitationem non debere omitti propter graues causas. Primum, quia ut inquit Augustinus: Sacramenta conficiuntur in verbo creatoris. Ideo certum est, non esse ibi Sacramentum, vbi verba desunt. Secundò, ut intelligat rudis populus, hanc sacram actionem non esse figmentum humana audacia excogitatum, sed à Filio DEI institutam. Tertiò, ut intelligat

telligat non solum, quantum sit, quod hinc illi datur pignus salutis, sed etiam ut assuefiat maiore cum humilitate, & reuerentia accedere ad hoc sacrosanctum conuiuium. Et certum est ex multis testimonijs Patrum in Ecclesia semper his de causis obseruatam esse consuetudinem recitationis verborum Coenae Domini. Sicut etiam Chrysostronus inquit in Homelia de proditione Iudae. Et nunc praestò est CHRISTVS, qui illam ornauit mensam, ipse istam quoque consecrat, Sacerdotis ore verba proferuntur, & DEI virtute operantur & gratia. Et Iusti. in Apologia maiore. Quemadmodum per Verbum DEI caro IESVS CHRISTVS Seruator noster, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per Verbum precationis & gratiarum actionis sacratam ab ipso alimoniam, quae mutata nutrit carnes nostras, & sanguinem, illius incarnati IESV carnem & sanguinem esse didicimus. Hæc cum ita se habeant, immeritò ab aduersarijs accusamur, quasi incantationibus CHRISTVM coelo detrahere, & corruptibilibus elementis humana temeritate includere conemur.

De modo verò, quo elementa cum sanguine & corpore Domini copulantur, nihil ex iudicio rationis humanae quaerimus. Vtcunque enim scrutemur, nihil certi eruere possumus, nisi quòd verba Filij DEI sonant, reliqua sunt opiniones philosophicæ & periculosæ. Hinc sancti Patres sumentes occasionem, hanc Coenam sæpe mysterium appellant, non respectu Verbi DEI, sed rationis nostræ. Prohibent etiam hanc ociosam curiositatem, ut Epipha. in libro Anchorato inquit, hanc subtilitatem soli DEO cognitam esse, ipsique in omnibus vera dicenti absque curiositate

riositate & malignitate credendum esse. Et Cyrillus in 6. cap. Iohan. modum inquirendæ præsentia corporis CHRISTI in Coena, dicit Iudaicum esse, & extremi supplicij causam. Simpliciter itaque mentem & oculos in verba Filij DEI defigimus, & in ijs piè acquiescimus.

Secundò, neque verò à solis Papistis nostram Confessionem seiunctam esse volumus. Sed & à Sacramentarijs, cum quibus nobis præcipua in hoc articulo dimicatio est, ac fatemur nos ex animo detestari perniciosum dogma eorum, qui superba ratione excoecati, Filium DEI mendacem facere volentes, negant post verborum recitationem seu consecrationem in Coena cum pane & vino exhiberi verum & substantiale corpus & sanguinem Domini nostri IESU CHRISTI, & affirmant Filium DEI, non re ipsa & substantialiter, sed virtute, efficacia, seu spiritualiter tantum præsentem adesse, nec ore corpus & sanguinem ipsius sumi, sed fide & spiritualiter tantum. Horum plausibilis error etsi ante annos 520. cum autore suo Berengario, & aliàs; sæpe damnatus sit, tamen impellente Sathana per inquietos & superbos spiritus, cum maxima & miseranda Ecclesiarum distractione renouatur. Ac præcipuè dolemus vicinos nostros oblitos suæ pristinae sinceritatis eodem errore infectos, vicinas etiam Ecclesias commaculare. Qui etsi astutè videri velint, quasi diuersa loquantur cum prioribus Sacramentarijs, tamen planè eadem sentiunt & docent, id quod ex illorum scriptis iam per triennium sparsis manifestè videtur: Docent namque tumidi isti spiritus, externa elementa in sumptione sacramentali symbola esse absentis CHRISTI, neque cum his substantia-

stantia-

stantialiter exhiberi corpus & sanguinem Domini. Deinde affirmare nituntur Coenam Domini ad solos pios ac minimè ad impios pertinere. Nos ergo quamuis verbalem digladiationem aduersus obstinatos hypocritas non instituerimus, tamen quia iussi sumus super hac controuersia nostram sententiam, quam publicè Ecclesijs nostris promulgamus, exponere, eam pro mensura doni nobis diuinitus concessi, simplicissimam damus.

Pro illustriori autè declaratione totius controuersiae duplicem manducationem corporis CHRISTI in scripturis proponi fatemur, vnã spirituales, alteram sacramentalem, vt vocant. Spirituales est applicatio beneficiorum Filij DEI, quæ fit per fidem. Hæc omnium horarum & momentorum esse debet. Semper enim siue in carcere, siue in solitudine, siue in periculo maris omnium hominum consolatione destitutis ad hanc spirituales mensam, tanquam sacram anchoram confugiendum est. De hac loquitur CHRISTVS, Iohan. 6. Paulus 1. Corinth. 10. Comederunt omnes escam spirituales. Item, Augustinus contra Caper. loquens: Vt quid ventrem & dentem paras, crede & manducasti.

Altera est manducatio sacramentalis, quando iuxta institutionem Filij DEI Sacramento vtentes cum pane & vino iuxta verbum Domini, Accipite, manducate, verum eius corpus & sanguinem verè & substantialiter præsentia, modo, qui ipsi soli est cognitus, accipiunt: Quæ manducatio, quia in congressibus publicis fieri debet, non potest esse omnium temporũ & horarum, & tamen frequens vsus eius esse debet in Ecclesia, sicut Paulus inquit: Quotiescũq; &c.

C

De

De hac loquuntur tres alij Euangelistæ & Apostolus Paulus, cum institutionem Cœnæ describunt, quod sic probamus: Tres Euangelistæ cum Paulo loquuntur de tali manducatione corporis CHRISTI, cum qua stare possunt mors & exitium æternum, quia multi communicantium ad iudicium manducant & bibunt, iuxta Pauli dictum, qui edit & bibit indignè, iudicium sibi edit, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Cum manducatione autem, de qua Ioh. 6. cap. loquitur, non potest stare exitium æternum. Inquit enim: Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Item, Si quis ederit de hoc pane, viuet in æternum. Cùm ergo diuersæ sint manducationes apud Ioannem & reliquos Euangelistas & Paulum, non debent manducationes istæ confundi, & series rerum gestarum euincit, quod non possint ad sacram Synaxin, quæ aliquanto post instituta est accommodari, quæ Iohan. 6. de manducatione & bibitione dicuntur, nec refert quod authoritatem Aug. allegant, qui etiam cap. Iohan. 6. ad Cœnam Domini accommodârit. Nam ipsemet Augustinus aliquot in locis iubet scripta sua approbari, quatenus cum scripturis canonicis consentiunt.

Nostra ergo Confessio hoc continet, externam actionem, siue oris manducationem necessariam esse, & simul in verbis CHRISTI contineri. Cùm enim dicit: Accipite, manducate, vult vt hæc verba imperatiua non transliamus, sed ore etiam corporali Eucharistiam duplici materia constantem terrena & cœlesti accipiamus. Deinde adiungit & alia verba, quæ spiritualem manducationem in nobis excitare & confirmare debent. Hæc nimirum, quod pro vobis traditur,

ditur. Item: Qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Item: Mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Sic ergo applicamus verba institutionis, ut utrique manducationi, tam Sacramentali quam spirituali, quod suum est, tribuatur, & neutram ab alterutra excludi patiamur. Sicut enim externa manducatio sine spirituali non solum non prodest, sed etiam obest, ita hæc sine externa apud Sacramenti contemptores non operatur. Hoc autem semper addimus, nos sacramentalem manducationem non in vacuis symbolis absentis CHRISTI, hoc est, in pane & vino statuere, sicut Sacramentarij faciunt, sed in vera substantiali & reali præsentia corporis & sanguinis Filij DEI, sicut ipse inquit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.

Hanc simplicem verborum Coenæ Dominicæ sententiam, & τὸ ἔν τὸν confirmamus. Primum à consensu Euangelistarum: Credimus enim Filium DEI postremo vitæ suæ tempore, & in testamento suo non lusisse verborum ambiguitatibus, nec pomum ἔριδος, aut Sphyngis ænigmata Ecclesiæ suæ obijcere voluisse. Ideoque tres Euangelistæ omissis vocabulis figurarum, signorum, symbolorum, &c. vno ore fatentur verum corpus & sanguinem illic exhiberi, non figuratum, allegoricum, aut symbolicum, sed illud ipsum corpus, quod pro nobis in mortem datum est, eum ipsum sanguinem, qui in remissionem peccatorum nostrorum effusus est. Quod si aliter intelligendum fuisset, quam verba sonant, ipsemet Filius DEI omniscius verum intellectum procul dubio Apostolis aperuisset, sicut aliàs sæpe dubitantes in viam reuocat, aut Spiritus sanctus cum Apostolos in omnem veritatem

ritatem duxerit, ipsis etiam in hoc articulo nativam sententiam verborum ostensurus fuisset, quod cum nusquam factum sit, non dubitamus hanc fuisse mentem Christi, quam aperta verba sonant.

Euangelistis tanquam fidelē παρασάτην addimus Paulum, qui inquit: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis CHRISTI est? Panis quem frangimus, &c. in quibus vocabulum κοινωνία, non de communicatione beneficiorum CHRISTI proprie, sed de communionem, qua corpus & sanguinem CHRISTI verè & substantialiter presentia cum elementis visibilibus, inuisibiliter tamen accipimus. Non quidem ut Capernaitæ imaginabantur. CHRISTI enim corpus cum sit incorruptibile, etiam sumptum intra nos, non corrumpitur, alteratur, aut digeritur, sed nos potius assidue alterat: Animam quidem ad iustitiam, Corpus autem ad spem immortalitatis, sicut & Ecclesia cecinit: Sumit vnus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur.

Tertium Argumentum sumimus ex dicto Pauli 1. Corinth. 11. Probet autem seipsum homo, vbi Paulus non semel poenam denunciat indignè sumentibus hanc Coenam, & pronunciat eos reos fieri non panis & vini, sed corporis & sanguinis Domini, &c. Effet autem contra aeternam iustitiam DEI damnare hominem propter rem aliquam, cuius vsus nunquam ad ipsum peruenerit. Cum autem impios damnari affi met propter abusum corporis & sanguinis Domini: sequitur verè illic eadem bona sumentibus exhiberi.

Etsi autem meritò omnes pij acquiescere debeant in verbis Filij DEI, nec testimonia humana requirere,

rere, sicut inquit Iohan. I. cap. 5. Si hominis testimonium accipimus, testimonium DE I maius est: Qui enim non credit DE O, mendacem facit eum. Voluimus tamen addere vnum vel alterum testimonium Patrum, qui post tempora Apostolorum præcipue gubernarunt Ecclesiam CHRISTI, vt conspicuum sit doctrinam nostram non esse recens figmentum, sed consensum veræ & Catholicæ Ecclesiæ omnium temporum.

Primus & antiquissimus Scriptor Ecclesiasticus est Irenæus discipulus Polycarpi instituti in schola Iohannis Euangelistæ, is lib. 4. contra Valentinum ratiocinatur carnem nostram non posse prorsus perire, quia corpore CHRISTI nutriatur. Verba hæc sunt: Quomodo autem rursus dicitur carnem in corruptionem deuenire & non percipere vitam, quæ à corpore & sanguine Domini alitur? Et paulò post: Quemadmodum qui est à terra panis percipiens vocationem DE I, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus consistens terrena & cœlesti, sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, &c.

Hilarius lib. 8. de Trinitate: De veritate corporis & sanguinis CHRISTI nullus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra, caro est, & verè sanguis est, & hæc accepta & hausta id efficiunt, vt & nos in CHRISTO, & CHRISTVS in nobis sit. In hanc sententiam plura dicit in eodem libro.

Athanasius super 10. cap. Epist. ad Corinth. Sanguis iste, qui calice cōtinetur, est qui de latere CHRISTI profluxit, hunc ipsi cū sumimus, participamus,

& CHRISTO coniungimur. Non igitur vos pudet ô Corinthij cùm ad Idolorū calicem decurritis, ab hoc poculo, quod vos ab Idolis liberavit?

Ambrosius affirmat panem hunc, qui de altari fumitur, esse illum panem, qui per Spiritum sanctum in vtero beatæ Mariæ virginis formatus sit, & postea crucifixus. Vetat etiam quæri ordinem naturæ in eo corpore, quod præter naturam conceptum est.

Augustinus Epistola 118. liquido adparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos, sed Spiritui sancto placuit, vt in honorem tanti Sacramenti prius corpus Domini ingrederetur os Christiani, quàm alij cibi. Idem ad Bonifacium Epistola 23. Sacramentum corporis CHRISTI, est corpus CHRISTI & sanguis CHRISTI. Idem lib. 3. de Trinitate cap. 4. Corpus & sanguis CHRISTI illud est, quod ex fructibus terræ acceptum & præce mystica consecratum vtile sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam dominicæ passionis pro nobis. Dominus noster IESVS commendauit nobis corpus & sanguinem suum de eiusmodi rebus, quæ multæ ad vnam trahuntur. Idem in sermone de Temp. 205. Videte fratres charissimi, si iustum est, vt ex ore Christianorum, vbi CHRISTI corpus ingreditur luxuriosum canticum quasi venenum Diaboli proferatur.

In hanc sententiam plura reperiuntur, cùm apud alios scriptores, tum præcipuè Augustinum.

Ex his testimonijs perspicuum est, quid vetus & purior Ecclesia post tempora Apostolorum de hac sacra Coena crediderit & docuerit. Etsi autem reperiuntur quædam obscurius dicta apud Augustinum & sequen-

sequentes, tamen cum fideliter totum corpus doctrinae inspiciatur, conferuntur integrae, non mutilatae sententiae, consideratur intentio authoris, Manifestum est, Augustinum in hoc Articulo fortiter nobiscum stare contra Sacramentarios. Deinde, etsi vel ipse vel alius quisquam affirmaret contra manifesta verba scripturae, non recedendum est à Verbo Dei, propter opiniones hominum. Certiora enim sunt, quae de ore Domini procedunt, quam omnes argutiae ingenij humani, quae ex Philosophia, eaque non satis intellecta, aut dictis Patrum plerumque male detortis, proferuntur.

Manifestum est, D. Augustinum facile omnium Ecclesiasticorum Scriptorum Principem habuisse suos naevos, & errorum aliquorum semina vel sparsisse, vel iam ab alijs sparsa, in consuetudine confirmasse. Nolumus itaque illius auctoritate plus obstringi, quam Filij DEI, nec cuiusquam testimonijs tribuere eum honorem, quem verbo DEI & Canonicis scripturis debemus, sicut & ipse Augustinus pie aliquoties admonet. Haec de substantia Coenae Domini diximus.

Alterum membrum, de quo inter nos & Sacramentarios dimicatur, hoc est: Quod docent isti sublimes Spiritus hoc Sacramentum ad solos pios, & minime ad impios pertinere, quod tamen Dominus pro tota Ecclesia instituit, cui certe multi mali admixti sunt, id quod & in Paulo videre est, ubi tota Ecclesia Corinthiorum vsa est integro Sacramento, licet aliqui in ea fuerint etiam externis criminibus obnoxij, sicut testatur: Propter hoc inquit multi sunt inter vos imbecilles, multi etiam obdormierunt, & tamen eos
commu-

communiter hac sacra Coena uti voluit. Sic cum tota Ecclesia quotidie orat: Dimitte nobis debita nostra, ingenuè fatetur, se multis peccatis pollutam, ideoque gratia DEI indignam esse, & tamen præcipit CHRISTVS, ut hoc Sacramento utatur. Agit enim DEVS nobiscum, non pro nostra dignitate, sed pro necessitate, & sua infinita misericordia.

Nostri ergo Confessio hæc est, externam vel Sacramentalem manducationem, in qua cum Elementis visibilibus exhibentur corpus & sanguis Domini, communem esse tam pijs quam impijs in Ecclesia, sed nostra culpa fieri, quòd quidam dignè ad vitam, quidam indignè ad mortem accipiant. Sicut & de Evangelio Apostolus inquit: Quòd alijs sit odor vitæ in vitam, alijs in mortem. Ideo Paulus seueriter admonet totam Ecclesiam: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. Qua admonitione nihil opus fuisset, si impij non acciperent corpus Domini. Nam reatus alicuius bonæ rei imputatur nemini, nisi re bona abutenti.

Testimonia de hac nostra confessione manifesta sunt. August. Epistola 162. inquit: Tolerat Dominus Iudam, diabolum, furem & venditorem suum, finit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles norant precium nostrum. Porro precium nostrum non est panis & vinum, sed ipsum corpus & sanguis immaculati agni nostri Iesu Christi. Idem lib. 5. contra Donatist: Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se diabolo præbuit: Sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut, quia ipse malus, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil acce-

acceperit. Corpus enim & sanguis Domini nihil minus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui indignè edit, &c. Idem super Iohan. tractatu 28. Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat dilectissimi, ut carnem CHRISTI & sanguinem non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali faciunt, sed usque ad participationem spiritus edamus. Gregorius dialogo 4. Est quidem (inquit) in peccatoribus vera caro CHRISTI, sed essentia, non salubri efficacia.

Quanquam autem internam spiritualem communionem non assequuntur, nec fructum eius percipiunt. Non ideo tamen, quia spirituali communionem carent, non integrum & verum accipiunt Sacramentum. Quemadmodum enim de integritate Sacramenti nihil decedit propter indignitatem personæ administrantis: Ita nec sumentis indignitas euertit ordinationem Filij DEI, hoc est, ipsam sumptionem corporis & sanguinis. Præterea non benè procedit argumentum ab abusu rei ad destructionem substantiæ, negatiuè.

Porro dictum August. tract. 59. quod hic præcipuè opponunt: Scit Dominus, quos in societatem beatitudinis huius elegerit, &c. Verum est, dummodò dextrè intelligatur. Cùm enim corpus CHRISTI, ut testatur Cyrillus, sit corpus vitæ, per se piè utentibus exitio esse non potest, quin imò nutrit animas, & sui participatione ad immortalitatem perducit corpora. Per accidens verò fit, quòd quibusdam sit exitio, quia indignè sumunt, non dijudicantes corpus Domini à communibus cibis. Hanc interpretationem veram esse agnoscit ipsemet Augustinus in libro de poenitentia, cùm inquit: Caro Christi quibusdam ad exitium

D

tium

tium est, sicut extitit Iudæ, quibusdam verò ad vitam; Non eò exitio extitit Iudæ, quia malum erat, sed qui a malus Iudas bonum malè accepit. Et extat apud eundem August: venusta similitudo, sic enim inquit: Baptismus est sacramentum nouæ vitæ ac salutis æternæ, quem multi habent non ad vitam, sed ad pœnam æternam, non benè vtentes tanto bono.

Ita etsi infideles & indigni de mensa domini non manducant ac bibunt vitam, sed iudicium: Tamen accipiunt verum Sacramentum, hoc est, corpus & sanguinem Domini, quæ in Sacramento Coenæ cum pane & vino dispensantur. Fides enim nostra non facit Euangelium aut Sacramenta, sed fides credit Euangelio & salubriter vtitur Sacramentis. Ideo inquit Augustinus: Accedat, credat, incorporetur & viuificetur. Sicut igitur cæcus sua priuatione non destruit substantiam solis, sic à DEO per verbum suum conditi & ordinati vt luceat: Ita nec infidelitas sumentis euertit ordinem immutabilem Filij DEI. Atque hæc de altera parte controuersia inter nos & Sacramentarios breuiter dicta sint.

Quia verò non tantum de substantia Coenæ Domini, sed etiam de vero vsu homines rectè instituendi sunt, vt tanto bono salubriter vti discant, diligenter proponimus admonitionem Pauli; Probet autem homo seipsum, &c. Hanc autem probationem duabus præcipuè rebus constare sentimus. Primum requirimus vt accessuri ad hoc sanctum conuiuium verè agnoscant sua peccata, quibus DEVM offenderunt, & de his seriò doleant, habeantq; propositum se adiuvante DEO deinceps vitaturos peccata. Quicumque enim intelligunt se contra conscientiam peccasse, neq;
tamen

tamen vitam emendare statuunt, sumunt sibi adiudicium. Nec admittimus pollutos manifestis criminibus, quæ Paulus enumerat ad Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, &c. donec emendationem vitæ polliceantur. Secundò requiritur vera fides, non tantum vt credamus in hac Cœna verè exhiberi corpus & sanguinem Domini, sed eam, quæ beneficium nobis hoc adplicat, vt statuamus Filium Dei pro nobis corpus suum dedisse in mortem, & sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effudisse. Hoc cum credimus, verè communicantur ea bona, quæ in verbis cœnæ promittuntur: remissio peccatorum & vita æterna. Atq; hæc fides est spiritualis manducatio, de qua suprâ diximus.

Vt autem populus commodius de hac præparatione edoceri possit, retinemus in Ecclesijs nostris priuatam absolutionem, sine qua neminem ad sacram Cœnam admittimus. Neque ideo hanc piam consuetudinem conseruamus, vt conscientias excarnificemus enumeratione singulorum peccatorum, sed vt profectum verbi apud auditores videamus, & scrupulos conscientiarum commodius per verbum Domini eximere possimus. Deinde admonemus Ecclesiam vt magna reuerentia & pia humilitate hoc pio Sacramento vtatur. Etsi enim scimus veram rationem probandi se, non consistere in decora gestuum moderatione, quod & hypocritæ facere possunt: Tamen vbi homo verè credit in Sacramento præsentem esse Filium Dei, adeoq; totam trinitatem, impossibile est, vt non vultu & omnibus gestibus pietatem & reuerentiam animi sui in hac sacra actione declaret.

Fines Coenæ Domini plures enumerari possunt, hi tamen præcipui :

Primus est confirmatio fidei, quæ oritur ex agnitione beneficiorum Christi & misericordiæ DEI recipientis nos propter Filium Mediatorem.

Secundus est gratiarum actio, celebrans beneficia, quæ à CHRISTO in nos sunt collata.

Tertius est admonitio de mutuo inter nos amore, & multorum inter nos officiorū coniunctione : Membra enim sumus inuicem, eodemq; cibo & potu utimur.

Quartus, testimonium Confessionis, discernens pios ab alijs sectis, quas DEVS odit & detestatur. Si quis plures minus principales addere velit, non pugnamus.

Postremo, testatum volumus coram DEO & tota Ecclesia, nos verè & ex animo odisse omnes errores & abusus pugnantes cum institutione & verbis Filij DEI, quales sunt, prophanatio Papistica Coenæ Domini in missis funebribus & venalibus, Transubstantiatio, circumgestatio in pompis & processionibus, adoratio panis idolatrica. Item, sacrilegium, quo vnam partem Coenæ laicis adimunt. Deinde est error Sacramentariorum & Anabaptistarum, de quo paulò antè diximus, qui quantum Epicureismum & contemptum totius Christianæ religionis de die in diem inducant apud promiscuam plebem, nec nobis dictu, nec alijs facile creditu est. Dominus eos aliquando reducat, & faxit vt pia tandem concordia Ecclesijs suis restituatur.

Atque hæc est breuis summa Confessionis nostræ de hac sacrosancta Coena Domini, quam iuxta
volun-

voluntatem Illustrissimi & Clementiss. principis ac Domini nostri ad pietates vestras scribere volumus. Cæterum, sicubi vestris doctissimis auribus, non, ut par est, satisfactum fuerit (sicut reuera tenuitatem ingenij nostri fatemur:) tamen reuerenter significamus, nos ad apologiam Clarissimorum virorum confugere, qui AVGVSTAE CAROLO V. Imperatori, in confessu omnium ordinum Imperij, suam Confessionem puram & incorruptam exhibuerunt, & ad libros Reuerendi Patris, D. MARTINI LVTHERI, quos ille contra Sacramentarios publicauit: hos amamus & amplectimur, non tam propter authorem, quam propter ἀναλογία fidei: Quia Canonicis scriptis conformes sunt, cum quibus & doctrinam vestrarum Ecclesiarum consentire non dubitamus.



PROPOSITIONES

DE COENA DOMINI

IN MEDYES A PASTORIBVS SAXO-

NICARVM ECCLESIA RV M ET

coniunctis, sexta die Februarij,

Anno 1561.

NGENVE FATEMVR NOBIS
 ex animo dolere turbas istas, quæ de venerabili Sacramento in Ecclesijs motæ sunt. Videmus enim non solum animos docentium, sed & auditorum hac occasione mirè exacerbari, fidem & inuocationem multorum labefactari, summum contemptum veræ religionis & Sacramentorum in infinitum augeri, hostes denique Euangelij ex his intestinis nostris dissidijs multum animari & triumphare. Hæc mala deploramus, & quantum in nobis est, nihil magis cupimus, quam piam & salutarem concordiam in DEO, qua cum hætenus propter odium Sathanæ, & multorum inquietos animos nobis frui non datum sit, non potuimus salua conscientia, in gratiam vllius hominis à manifestis Verbis Filij DEI recedere. Ita enim amicitia cum hominibus colenda est, ne interea falsis opinionibus applaudamus. Cum igitur Confessio veræ doctrinæ hoc tempore præcipue necessaria sit, has propositiones pio studio pacis conscripsimus, continentes summam doctrinæ de venerabili Eucharistia, quam cum hætenus vt veram ex DEI verbo desumptam, & ab Ecclesia orthodoxa adprobatam gregi nostræ fidei commisso proposuerimus, Volumus in eadem DEO Duce & in posterum constanter perseuerare.

Fatemur

I.

Fatemur Cœnam Domini esse actionem sacram à Christo in vltima Cœna institutam, in qua post integram recitationem verborum nobis cum pane & vino verè & substantialiter exhibet suum corpus manducandum & sanguinem bibendum in eum finem, vt in nobis exuscitet memoriam salutiferæ suæ passionis, fidemq̃ accēdat, qua certò statuamus, illum velle nobis vniri, peccata remittere, & ad æternam vitam resuscitare.

II.

Hæc Cœna varijs appellationibus nominatur in scriptis patrum. Nunc enim *εὐχαριστία*, nunc sacram *συνάξις*, nunc item *ἀγάπην* vocarunt, de quibus rixari nolumus. Non enim refert, quo nomine hanc sacram Cœnam vocemus, dummodo institutionem Filij Dei & verum vsum retinere possimus.

III.

Authorem huius sacræ Cœnæ credimus Filium Dei, quod ideo scitu necessarium est, ne quis hominum sibi vsurpet eam potestatem aliquid mutandi in Testamento Christi, Gal. 3.

IIII.

Partes huius Sacramenti vsitato more numeramus tres: Verbum seu promissionem gratiæ:

tiae: Elementum integrum panis & vini cum corpore & sanguine Christi: Et expressum mandatum, in quo praecipitur, vt his elementis cum suo verbo vtamur. Si enim non accedat hoc mandatum, iam omnes incantationes, in quibus homines verbo Dei abutuntur. Item, superstitiosae consecrationes herbarum, salis, aquae, quarum in Papatu multae fuerunt humana auctoritate confictae, Sacramenta vocabuntur.

V.

Duplex est huius Coenae materia, vna externa subiecta sensibus, ipsum videlicet elementum panis & vini. Altera interna corpus & sanguis Domini, quae Filius Dei copulat cum elementis, non vnione hypostatica aut durabili, sed conditionali & Sacramentis conuenienti. Huic sententiae astipulantur S. Patres, vt Irenaeus & Augusti. cum ex duabus rebus sacramentum constare affirmant: Altera terrena, altera coelesti.

VI.

Deploramus multorum audaciam, qui propter vitanda absurda rationis, discedunt à manifesto verbo, & plausibiles interpretationes comminiscuntur, sicut Papistae in articulo Iustificationis, & Cingliani in hac sacratissima Coena fecerunt. Nos autem captiuantes rationem in obsequium Christi, τὸ πρῶτον verborum Coenae ex animo amplectimur

amplectimur, quæ verba testantur non nuda & sola elementa sumi, nec figuratum, significatum, aut allegoricum, aut imaginarium corpus, sed vnicum illud ac verissimum corpus, quod Filius Dei de carne Mariæ virginis matris sanctificata assumpsit, & verissimum cruorem, qui ex vulneribus eius effluxit. Credimus enim, Filium Dei postremo vitæ tempore, non lusisse ambiguitatibus, nec pomum ^{epidæ} Ecclesiæ suæ obijcere voluisse.

VII.

Hanc sententiam veram esse multæ circumstantiæ testantur. Pondera verborum Christi: Hoc est corpus meum. Et in his summus Evangelistarum consensus, qui vno ore fatentur verum corpus & sanguinem illic exhiberi. Deinde ratio temporis, quia certum est Christum, si vnquam antea, præcipuè instante morte proprijs suis verbis vsurum. Ita enim testamenti ratio requisibat. Insuper cùm Spiritus sanctus Apostolos in omnem veritatem duxerit, credimus eum, & in hoc articulo nativam sententiam manifestaturum fuisse, sicut & Christus sæpè aliàs dubitantes Apostolos præoccupat & instruit, quod cùm nusquam factum sit, non dubitemus, hanc fuisse mentem Domini, quam aperta verba sonant.

VIII.

Formam Sacramenti huius ponimus integram actionem, sicut à Christo instituta est, in qua

E

iuxta

iuxta promissionem cum pane & vino copulata corpus & sanguinem Domini exhiberi modo inuisibili, atque rationi inperuestigabili credimus, non tantum fide & spiritu, sed etiam ore corporali sumenda.

IX.

Modum praesentiae corporis & sanguinis Christi in Coena, humana ratione inquirere est in tenebris ambulare. Non enim adest Christus in Coena modo visibili, contrectabili, aut subiecto sensui & oculis humanis, sed caelesti & fidei conuenienti. Hinc sancti Patres sumentes occasionem, hanc Coenam saepe mysterium appellant, non respectu Verbi DEI, sed rationis nostrae. Prohibent etiam hanc ociosam curiositatem, ut Epiphanius in libro Anchorato inquit: Hanc subtilitatem soli DEO cognitam esse, ipsi in omnibus vera dicenti absque curiositate & malignitate credendum esse. Et Cyrillus in 6. cap. Iohan. modum inquirendae praesentiae corporis Christi in Coena dicit Iudaicum esse & extremi iudicii causam.

X.

Quoties igitur conscientia tua disputat, & anxie quaerit, quomodo in Coena corpus & sanguis Christi exhibeantur cogites illud: Altiora te ne quaeris

ne quæsieris. Item, Scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Non vageris extra verbum, sed dicta Euangelij tibi proponas, & Filio DEI tribuas laudem veritatis, sicut Abraham fecit, qui contra spem in spem credidit. Hæc cogitatio ad pietatem & tranquillitatem conscientiae plus prodest, quàm vana curiositate frustra se affligere.

XI.

Non solùm autem de essentia Sacramenti docendi sunt homines, verùm etiam vt hoc tanto beneficio ad salutem piè uti possint. Sciendum est igitur, duplicem esse manducationem. Altera est externa vel Sacramentalis communis, tam pijs quàm impijs, in qua vnà cum elementis visibilibus exhibentur ore corporali sumenda corpus & sanguis Domini, diuerso tamen effectu. Pij enim ad salutem æternam. Impij verò ad exitum sumunt, & de hac loquitur textus: Accipite, comedite, &c. Item, Bibite ex hoc omnes. Item Paulus: Indignè sumentes, iudicium sibi manducant & bibunt. Hilarius lib. 8. de Trinitate: Hæc accepta & hausta, &c. Augustinus Epist. 118. ad Ianuarium: Placuit Spiritui sancto. Idem, super Iohan. tractatu 27. Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat dilectissimi, vt carnem & sanguinem Christi non edamus tantùm in Sacramento, quod & multi mali faciunt.

Idem in sermone de Temp. 205. Videte fratres Charissimi, si iustum est, vt ex ore Christianorum, vbi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum quasi venenum Diaboli, proferatur. Ambrosius in histor. Tripart, libro nono, capite trigesimo.

XII.

Altera species manducationis, spiritualis est, cōmunis pijs, veteris & noui Testamenti, sine qua prior non solum non prodest, sed etiam exitiosa est. Spiritualis autem manducatio est applicatio effectuum & beneficiorum Christi, quæ fit per fidem. Sicut autem externa manducatio sine spiritali nihil prodest: Ita & hæc sine externa apud Sacramenti contemptores non operatur. De hac Christus Iohan. 6. concionatur, partim proprijs verbis, partim figuratis. Et Paulus 1. Corinth. 10. Comederunt eandem escam spiritualem, &c. Item Augustinus contra Capernaitas loquens: vt quid ventrem & dentem paras, crede & manducasti. De vtraque igitur Ecclesiæ diligenter instituendæ sunt.

XIII.

Fines Cœnæ Domini plures numerari possunt. Primus & præcipuus est confirmatio fidei, quæ oritur ex agnitione beneficiorum Christi & misericordiæ Dei, recipientis nos propter mediatorum.

tozem. Secundus est gratiarum actio celebrans beneficia, quæ à Christo in nos collata sunt. Tertius est admonitio de mutuo inter nos amore, & multorum officiorum coniunctione. Quartus, testimonium Confessionis, discernens pios ab alijs sectis, quas Deus odit & detestatur.

XIIII.

Pugnant cum hac institutione Christi omnes errores & abusus, quales sunt profanatio Papistica Cœnæ Domini, in missis funebribus & venalibus, Transubstantiatio, circumgestatio in pompis & processionibus, adoratio panis idolatrica. Item, Sacrilegium, quo vnâ partem Cœnæ Domini laicis adimunt contra manifestum verbum Dei: Bibite ex hoc omnes. Deinde est error Sacramentariorum, & Anabaptistarum, qui à manifestis verbis Christi discedentes, negant, eum suo corpore & sanguine in hac Cœna præsentem esse, & affirmant corpus Domini, & sanguinem eius, non re ipsa & substantialiter, sed virtute, & spiritualiter tantùm in cœna credentibus exhiberi, nec ore, sed sola fide sumi, quæ opinio multorum errorum, turbarum ac tristium euentuum in multis Ecclesijs causa extitit, cuius rei exempla non pauca etiam hæc postrema ætas nostra vidit. Nec dubium est hunc furorem secuturas pœnas publicas, etiam in hac patria aliàs afflictissima, cum videamus, quantus Epicureismus & contemptus

temptus huius sacratissimæ Cœnæ de die in diem
crescat, apud promiscuam plebem hoc errore in-
fectam, adeò, vt pia mens de his cogitans reformis
det, & exhorrescat.

Cùm igitur in his tantis malis humana ratio-
ne eluctari nequeamus, ad te confugimus Domi-
ne Iesu Christe Fili Dei, quia dixisti: Venite ad
me omnes, &c. Te veris gemitibus oramus, vt
nostri miserearis, lucem verbi tui inter nos con-
serues, nec per sæuitiam Sathanæ, furorem homi-
num, aut falsas opiniones deleri sinas, mitiges
etiam pœnas, quas nostris peccatis meriti sumus,
& tandem in pace animas nostras ex omnibus
malis redimas, vt te, tuacq; beneficia
in æternum celebremus.

A M E N.



NOMI-

NOMINA EORVM, QUI

huic Confessioni suo & fratrum absentium nomine subscripserunt.

Matthias Hebler, Pastor Ecclesiae Cibiniensis, & Superintendens Saxonica: Ecclesiarum, sic in Domino sentio, & toto corde credo.

Dionysius Alesius, Pastor Ecclesiae Fenesis, agnosco, has propositiones esse perpetuam doctrinam Catholicae Ecclesiae Dei, m. prop.

M. Sebastianus Carolus, Pastor Ecclesiae Saxopolitanae, subscribo.

Matthias Glatzius Decanus generalis, meo & fratrum absentium Capituli Megyen. nomine subsc.

Georgius Christianus, Decanus Capituli Cibiniensis, suo & suorum fratrum nomine subscribo.

Iacobus Fischer, Decanus Coroniensis, suo ac omnium fratrum nomine subsc.

Christianus Pomarius Pastor Ecclesiae Leschniciensis & Decanus Capituli Bistriciensis, suo & omnium fratrum eiusdem Capituli nomine subscripsit.

Michael Kuntz, Pastor Ecclesiae Kysdensis, ac Decanus Capituli Kysdensis, suo & omnium fratrum eiusdem Capituli nomine subsc.

Martinus Hentius, Pastor Ecclesiae Kelniciens. ac Decanus Capituli Kosdi, suo & fratrum nomine m. p. subsc.

Paulus

Paulus Hangasius, Pastor Kyffelken, ac Decanus, suo & suorum fratrum nomine subscripsit.

Albertus Kürsner, Pastor Ecclesiæ Bistriciensis, m. prop. subscripsit.

Franciscus Salicæus, Pastor Ecclesiæ Byrtshalten. subscripsit m. propria.

Christianus Kosthius, Pastor Ecclesiæ Muschnensis, m. p. subsc.

Iacobus Mellebrigerus, Pastor Ecclesiæ Sabesiensis, p. m. subsc.

Georgius Helthen. Pastor Ecclesiæ Meggyen. propria manu subf.

Petrus Ludouicus, Pastor Ecclesiæ Mettersdorfensis, subsc.

Petrus Arcusinus, Concionator Ecclesiæ Coroniensis, m. p. subf.

Stephanus Gros, Pastor Ecclesiæ Hommersdorfensis, m. p. subf.

Matthias Totschner, Pastor Ecclesiæ Dispfensis, m. p. subscripsit.

Iohannes Begnerus, Pastor Ecclesiæ Heltuinsensis, in confessione oris firma subscripsit.

Nicolaus Fuchsius, Pastor Ecclesiæ Christi, in Hongberg, terræ Barzæ, manu propria subscripsit.

Gregorius Jungk, Pastor Ecclesiæ Segesváriensis, m. p. subf.

Christianus Massa, Pastor Ecclesiæ Rosenauensis, m. p. subf.

Lazarus

Lazarus Ryfendorfius, Pastor Parathianæ
Ecclesiæ, m. p. subscripsit.

Christianus Schesæus Pastor Ecclesiæ Dei,
ad S. Thobiam, m. p. subf.

Matthias Gycolai, Pastor Ecclesiæ Sardiensis, ius-
xta Albam, m. p. subf.

Laurentius Kleyn Bistriciensis, Pastor Ecc-
lesiæ Solnensis in districtu Bistriciensf. m. pro-
pria subf.

Georgius Iüngling, Pastor Ecclesiæ Lapis-
densf. subf.

Blasius Koch, Pastor Ecclesiæ Ibistorfen.
m. p. subf.

Michael Longeuallen, Pastor Ecclesiæ mon-
tis Martini, m. p. subf.

Dominicus, Ecclesiæ Pudendorf. Pastor, ma-
nu propria subf.

Iacobus Fabricius, Pastor Ecclesiæ Dei, quæ
est in Bogatz, p. m. subf.

Valentinus Crispus, Concionator Hungar-
orum Cibiniij, m. p. subsc.

Leonhardus Hermannus, Pastor Ecclesiæ
Etzellen. non ficto corde, sed bona fide subf.

Bartholomæus Durlesius, Pastor Ecclesiæ
Capustensis, m. p. subf.

Petrus Basnensis, suo & suorum nomine
subscripsit.

Iohannes Gebharth, Pastor Ecclesiæ Boz-
nestorf. subf.

F

Valens

Valentinus Cronerus, Pastor Ecclesiæ Christi, quæ est in Sitvva, m. p. subf.

Thomas Fridrich de Koresch, Pastor Ecclesiæ Vuelcensis, subf. m. p.

Stanislaus Megariensis, Pastor in Kyrberg bona fide subf.

Iohannes Homrich, Pastor in Longaualle subscripsit.

Demetrius Aunerus Pastor Ecclesiæ Schinens. subf.

Dauid, Pastor Ecclesiæ Billestorfen. subf.

Georgius Schonhevver, Pastor Ecclesiæ Schinensis, m. p. subf.

Franciscus, Pastor Ecclesiæ Dei, quæ est in VVurmloch, m. p. subf.

Christophorus Schemmerth, Pastor Ecclesiæ Iacobitæ, m. p. subf.

Christianus Herman, Pastor Ecclesiæ Vualtsheidensis, subf.

Iohannes Brum, Pastor Ecclesiæ Busden. f.

Georgius Albertus, Pastor Ecclesiæ Magarien. subf.

Simon Vuernerus, Pastor Ecclesiæ Almasdien. subf.

Georgius Trainer, Pastor Ecclesiæ Nimisiana subf.

Michael Radaschinus, Pastor Ecclesiæ Bartsphen. legi, intellexi, & probo Confessionem Saxonicarum Ecclesiarum in Transyluania, de Cœna Domini. Idem enim & nos credimus, docemusq̃

musque in nostra Ecclesia, quòd in sacra Coena
utentes pane & vino iuxta institutionem Christi,
non nuda elementa, sed cum eisdem verum natu-
rale corpus & sanguinem Domini accipiant, pa-
riter boni ad salutem & mali (qui in eodem coetu
sunt) ad iudicium.

Thomas Fabri, Rector Scholæ Bartphanæ,
perlecta sententia scripti huius Ecclesiarum Saxo-
nicarum, non tantùm fateor, me illi toto pectore
assentiri, verùm etiam oro Filium Dei, vt me in
eius confessione vsque ad extremum articulum
vitæ meæ conferuet.

Iohannes Kynzelius, Pastor Tarnoniensis,
credo & doceo cum pijs Saxonicarum Ecclesia-
rum in Transyluania ministris, in sacrosancta
Coena Domini, porrigi non signa significatiua,
sed signa exhibitiva, verè & certò exhiberi nobis
corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi,
sicut verba sonant. Rogetur Filius Dei, vt ista
fides in omnibus Ecclesijs illæsa maneat.

F 2

Super

Super Confessione

REVERENDORVM
 VIRORVM SUPERIN-
 TENDENTIVM, DECANO-
 RVM ET PASTORVM ECCLESIARVM
 Saxonicarum in Transyluania, de COENA
 DOMINI; Interrogatorum Theolo-
 gorum in Academia Lipsensi,
 & Vuitebergensi
 Responſio.



AVDIVIMVS, REVERENDOS
 Viros, pietate & eruditione præ-
 stantes, Dominum Georgium
 Christianum, Decanum Capituli
 Cibiniensis, & Dominum Nico-
 laum Fuchſium, Pastorem Eccle-
 siæ Dei in Hongberg, exponentes ea, quæ in man-
 datis acceperant à Reverendis itidem Viris Su-
 perintendentibus, Decanis ac Pastoribus cæteris
 Ecclesiarum Saxonicarum in Transyluania, fra-
 tribus ac Collegis suis, & accepimus ab iisdem
 Legatis duas ad nos scriptas clementissimè & hu-
 manissimè Epistolas, vnam à Serenissimo & Illu-
 strissimo Principe ac Domino, Dn: Iohanne Se-
 cundo, Electo Rege Vngariæ, Dalmatiæ, Croas-
 tiæ, &c. Alteram à Superintendente generali, &
 Pasto-

Pastoribus Ecclesiarum Saxonicarum in Transylvania, vnâ cum eorundem Confessione de sacrosancta Coena Dominica, de qua cum & per dictas Epistolas, & viua voce Legatorum rogati, & mandato Illustrissimi Ducis Saxoniae AVGVSTI, Sacri Romani Imperij Archimarschalchi & Electoris, Landgrauj Thuringiae, Marchionis Misniae, & Burggrauj Magdeburgensis, &c Domini nostri Clementissimi, iussi essemus sententiam nostram scripto exponere, diligenter & attentè eam Confessionem perlegimus, perpendimus, & quantum nos quidem intelligere possumus, comperimus & iudicamus doctrinam de Coena Domini ibi explicatam, si verba & phrasae simpliciter & sine calumnijs & cauillationibus accipiantur, in fundamento & summa synceram & piam esse, & congruere cum scriptis Apostolicis, & cum doctrina harum Ecclesiarum, quarum consensus comprehensus in Confessionis libro exhibitus est Augustae Imperatori Carolo V. Anno 1530. sicut ea doctrina tempore Lutheri & Philippi, sanctae memoriae, tradita & vsurpata, Dei beneficio adhuc incorrupta publicè sonat in his Ecclesijs & duabus Academijs. Rectè enim loquitur Confessio: primùm, de substantia Coenae Dominicae, quòd in ea non solus panis & vinum, vt nuda symbola absentis corporis & sanguinis Christi porrigatur & accipiatur, sed vnâ cum visibili pane & vino, substantiam suam non perdente aut mutante, cor-



pus Christi pro nobis traditum in cruce, & sanguis pro nobis effusus ad remissionem peccatorum, verè præsens nobis donetur & sumatur, iuxta sensum & efficaciam verborum & institutionis Christi, & quòd hæc sumptio fiat non tantùm spiritualiter fide (quæ spiritualis manducatio tamen etiam necessariò requiritur ad hoc, vt usus Cœnæ sit salutaris:) Verum etiam sacramentaliter ore, quæ sacramentalis manducatio oris rectè dicitur communis esse tam pijs hominibus, qui addentes spiritualem manducationem, quæ fit fide applicante sibi beneficia Christi, verè consequuntur ea bona, quæ Christus morte sua & sanguinis sui effusione peperit: quàm hypocritis, qui vel consuetudine, vel coactione, vel ostentandæ pietatis, vel probandæ fictæ innocentiae causa vtentes Cœna Dominica, iuxta institutionem corpus verum & sanguinem Christi, tantum sacramentali manducatione accipiunt, sine vllò fructu, imò potius in iudicium, damnum & poenas sibi sumunt, quia non dijudicant corpus & sanguinem Domini, neque adiungunt spiritualem manducationem, sed contenti Sacramentali, flagitiosè & pernitiosè abutuntur hoc tanto thesauro.

Deinde etiam rectè docet Confessio, de usu huius Sacramenti, quod institutum sit ideo, vt usurpetur in seria conuersione, ad confirmationem fidei, quæ ex verbo & promissionibus Eus angelij apprehendit remissionem peccatorum,
recony

reconciliationem, donatam iustitiam, atq; ita consolationem & vitam: quæ fides precioso illo pignore corporis & sanguinis Domini certificatur, & quasi obsignatur, vt peccator miser, quantumuis sua indignitate consternatus, certò tamen credat & statuât, se vt surculum ab arbore alia defractum, & nisi rursus stipiti viuo inferatur, emoriturum, Christo Redemptori ac Saluatori suo inferi, & propter hunc Filium æterni patris vnigenitum & natura dilectum, quem & fide & sumptione illa sacramentali apprehenderit, sibiq; proprium fecerit, & vna quodammodo caro cum ipso factus sit, se certò placere Deo, & per Spiritum Christi, quem simul acceperit, consolatione, luce, læticia & vita noua perfundi, erigi ac confirmari.

Præterea, grauissimis & iustissimis de causis Confessio hæc taxat & improbat commentum Papisticum, absque vlllo Scripturæ testimonio confictum de Transfementatione visibilium symbolorum panis & vini in corpus & sanguinem Domini, quod suum somnium prodigioso nomine Transubstantiationem nominarunt, & huic vt fundamento omnes in missa Theatrica abominations quales sunt, oblatio, circumgestatio, & adoratio panis, superstruxerunt.

Multò verò iustius reprehendit ac taxat hæc Confessio sceleratam illam, & non modo nullo nitentem scripturæ testimonio, verùm etiam palam aduersantem manifesto institutionis mandamento mus

to mutilationem Cœnæ Domini, seu rapinam potius sacrosancti sanguinis in hac Cœna, quem sacrificuli pontificij, vt veri sacrilegi & κυλικοκλέπται laicis eripuerunt, sibiq̄ solis reseruarunt, & quem semel sceleratè rapuerunt calicem, nondum etiam restituant Ecclesiæ, sed quasi iustè vindicatum, & ad ipsos solos diuino iure pertinentem, gladijs & rogis, alijsq̄ parricidijs Sanctorum & innocens tum hominum defendere conantur.

Cautè etiam vtitur Confessio his loquendi formis: Cum pane, Sub pane, aut in pane & vino verè dari, exhiberi & accipi verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, quæ loquendi formæ in nostris quoque Ecclesijs hæctenus vsitatae fuerunt, & etiamnum retinentur, ea tamen, quod debet omnino fieri, perspicuitate illæ ibidem declarantur, vt per has neque Transsubstantiationis commentum, nec vlla localis, naturalis, carnalis aut durabilis in panem & vinum inclusio, aut cum his permixtio, aut alligatio corporis & sanguinis Christi, statui aut confirmari existimetur, qua cum declaratione ac protestatione formis prædictis, nos quoque vtimur & vtemur, sicuti & in scriptoribus vetustissimis & purissimis testimonia sunt plurima & perspicua, ab ipsis quoque eundem in modum eas vsurpatis fuisse.

Deinde iterum iustis & grauibus de causis hos quoque Confessio accusat, qui suæ rationi ac sapientiæ carnali credentes & obtemperantes
libens

libentius, quàm veris & serijs verbis Filij DEI Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, interpretatione concinna & blandiente rationi, ea sic exponunt, vt figuratè intelligi velint de absente corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, & panem & vinum in Coena, nuda tantùm elementa & symbola credenda & accipienda esse: Id quò hac potissimum de causa, quia rationis suæ luce ac captu intelligere ac comprehendere non possunt, qua ratione possibile fuerit, vt aut in prima Coena Christus Dominus corpus suum, quod in cruce mox traditurus, & vt victimam pro peccatis generis humani oblaturus erat, & sanguinem, quem effusus erat in remissionem peccatorum nostrorum, exhibitione panis & vini visibilis discipulis suis verè manducandum & bibendum exhibere potuerit: Aut nunc quoque idem verum suum corpus, & verum suum sanguinem pro nobis in crucem traditum & effusum, quod in ascensione ad cœlos secum sursum & supra omnes cœlos euexit, & in dextera æterni Patris collocavit, verè præsens, & quidem pluribus ac diuersis in locis cum pane & vino omnibus Coena hac iuxta institutionem vtentibus exhibere ad manducandum & bibendum possit. Qua etiam impossibilitate perturbati conquirunt magno studio omnis generis absurda, quæ bona consequentia inde prosmanare existimant, si verba Christi simpliciter, vt sonat τὸ πρῶτον, de præsentis corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi intelligenda sint. Ista

G

verò

verò absurda cum existiment nullo modo ferenda esse, sic interpretantur verba, vt de corpore absente, & in coelo habitante per figuram intelligi ea velint, quòd corpus & sanguis per elementa tanquam symbola seu signa tantùm significetur, & sola cogitatione fidei spiritualiter accipiatur, ac manducetur.

Hæc quidem omnia & dici pulchrè possunt, & similitudinibus concinnis explicari, vt rationi & sapientiæ naturali, quæ alioqui difficulter in verbo acquiescit, & ad id alligari aut captiuari se patitur ægerrimè, prorsus verisimilia esse videantur. Qua etiam de causa opinio illa rationi consentanea, tam multis præsertim eruditis & ingeniosis abblanditur, & applausu tanto & consensu plurimorum excipitur.

Sed si eò deduci nos permitemus, vt in articulis fidei nostræ tantùm ad lumen illud naturale respiciamus, & ea tantùm probemus, & vera ac certa esse statuamus, quæ ratio nostra exhaurire ac comprehendere cogitando potest, vt videantur esse vera & possibilia: ea sanè ratione paucissimos fidei articulos retinebimus, Ac præter philosophicam aut legalem doctrinam similem Ethnicæ, parum admodum reliquum habebimus.

Non est autem doctrina & professio articulorum fidei Christianæ doctrina talis, quæ à luce naturali orta aut desumpta sit, sed ab ipso Filio Dei immensa & inenarrabili misericordia patefacta, & è sinu patris sic prolata, vt disertè præcipiatur,

piatur, fide eam credendam & amplectendam esse. Quod cum ita sit, impossibile est eam ut numerorum, mensurarum, ponderum aut similiarum rerum naturalium doctrinam inuestigare aut comprehendere totam, & suis quasi metis, numeris, proportionibus, mensuris aut demonstrationibus includere: Imò mandatis potius seuerissimis cogimur, ut verbis veracis Oratoris ac Legati Filij Dei assentiamur sine dubitatione. De Filio enim ipse pater æternus hanc de cœlo vocem sonat: HVNC audite, ac si diceret: Lumen naturale, ratio & sapientia humana nihil aut parum vobis proderit. Hunc vero meum vnigenitum Filium λόγος æternum & ἰσάμενον & imaginem meam substantialem, qui est in sinu meo, & arcana omnia omnium meorum consiliorum penitus & perfectè nouit, intelligit ac perspicit, & de his omnibus integrè ac verè docere vos omnes potest, quantum & sciri à vobis volo, & necesse iudico, & in vestra ista ingenti infirmitate comprehendendi iam potest. Hæc inquam & poterit verè docere vos Filius, & faciet fideliter. Quare hunc ut audiatis volo, & præcipio seuerissimè. Hunc enim audientes Doctorem, facietis rectissimè, & verbis eius, utpote qui & verax est, & veritas ipsa, inniti tutò, & cum securitate poteritis.

Hic verò Filius æternus æterni Patris discessurus iam à discipulis, & ante discessum valedic-
turus

BT

Eturus eis singulari eoq̄ dulcissimo ritu, & iam cum morte, ira Dei & portis inferorū colluctans, quo in agone ardentissimo omnia eius dicta, facta ac gestus nequaquam ludicrum quid præ se ferunt, sed animi ardentis & ferio omnia loquentis & facientis testimonia sunt: de pane à se singulari cum motu animi & gratiarum actione benedicto, fracto, & porrecto discipulis cum hoc mandato, ut ore eum acciperent ac manducarent, asseuerans inquit: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur. Ac similiter de calice seu vino contento in calice, ex quo bibere omnes iubet, affirmat ferio: Hic est Calix noui Testamenti in sanguine meo, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, Ac non tunc tantum manducare aut bibere eos iubet, sed ut sæpe id faciant, imò subinde usque ad reditum suum nouissimum in Ecclesijs ac congressibus pijs & publicis, ritum hunc feruent, præcipit inquit: Quotiescunque ex hoc calice biberitis, facite hoc in mei recordationem ac commemorationem.

Hæc oratio & mandata haud dubiè tunc quoque Apostolis visa sunt mirabilia & absurda, sed sicut in agone illo nouissimo passionis & mortis iam imminentis, magno cum ardore & motu animi dici ea à Christo vident & audiunt, ita ferio in his acquieuerunt Apostoli, & sine hæsitacione eis crediderunt, nec se rationis cogitationibus impediri aut perturbari passi sunt: Ac quo ritu Cœnam hanc ipsi & institui viderunt & intellex

rellexerunt primo, eo etiam omnibus illis in locis, in quibus vocem Euangelij propagarunt, Cœnam hanc seruari & celebrari mandarunt ac instituerunt, vt ex Apostoli Pauli verbis manifestissimè conspicitur, vbi disertè affirmat. 1. Cor. 11. A Domino accepi, quod & tradidi vobis. Item, Quicumq; de pane aut de calice hoc indignè comederit aut biberit, reus erit corporis & sanguinis Domini. Ac idem testatur consensus perpetuus antiquissimæ & purissimæ Ecclesiæ Catholicæ & orthodoxæ credidisse eos sine dubitatione, verè & certò in hac Cœna verum corpus & sanguinem Domini præsentia esse, & exhiberi vescitibus: Quapropter & omnibus temporibus Cœna illa sacrosancta summa cum reuerentia ac veneratione, deuotione animi & metu seriò omnis abusus, aut indignæ tractationis administrata est à pñs omnibus. Suntq; sermones illi ex certitudine fidei, de vera veri corporis Christi in Cœna præsentia, adeò latè sparsi, & pro veris habiti, vt propter eos Christiani à calumniatoribus aulicis apud Imperatores Romanos Ethnicos falsis illis criminibus calumniosè accusati ac delati sint, eos in congressibus nocturnis & clandestinis (Quia vt publicè conuenirent metu crudelissimorum illorum Tyrannorum prohibebantur) carnibus humanis vesci, & sanguinem humanum inter se propinare, & hoc ritu ad periculosam societatem, tanquam foedere arctissimo inter se obstringere. Quæ Christianorum conspiratio aliquando in seditionem

ditionem exitiosam toti imperio tandem oblata occasione eruptura sit. Huius autem tam tetræ calumniæ Ethnicæ illi Sycophantæ & hostes Ecclesiæ causam iustam nullam, imò ne quidem occasionem verisimilem habituri fuissent, si pij Ecclesiarum ciues panem & vinum huius Cœnæ vt elementa nuda, & sola absentis corporis & sanguinis Christi symbola aut signa habuissent ac credidissent, ac non potius hi sermones in pijs Ecclesiarum congressibus veri ac certi indicati & publicè noti fuissent, ipsos in Cœna illa sacrosancta, Domini ac Saluatoris sui Christi Iesu verum corpus & sanguinem, præsentia in hac manducatione sacramentali, ore accipere ac manducare, quos sermones, crudeles illi calumniatores postea de carnali & Capernaitica laniena corporum humanorum, & de hausto sanguine humano malitiosè interpretantes ac deprauantes mentione tam tetræ lanienæ, Tyrannos aduersus Ecclesiam accendere, & incitare ad sæuitiam exercendam contra Christianos conabantur.

Cum igitur Christus verba hæc in prima institutione serio animo dixerit, & apostoli illa ipsa, vt orationem seriam ac simplicem minimeq; figuratam & allegoricam acceperint & intellexerint. Postea etiam in Ecclesia subinde sic explicata, declarata & tractata sit hæc Cœna, vt manifestissimè inde conspici possit, non tantùm panem & vinum nudum, sed præter panem & vinum etiam corpus & sanguinem verum iuxta verborum

rum

rum tenorem, sub admirando tamen mysterio, non carnali, corporali, mensurabili aut comprehensibili modo præsentia, credita, & reuerenter habita esse. Hæc ergo cum consent certissimè: Quæstio est, satius ne & conuenientius, imò etiam tutius ne sit huic sapienti, veraci & omnipotenti Oratori Filio Dei λόγῳ æterni Patris, Domino ac Redemptori nostro Iesu Christo, credere simplicissimè, eaq̃, quæ ipse paulò ante mortem in agone & mœstitia cordis acerbissima, ideoq̃ sine vlla dubitatione affectu ardentissimo in institutione Sacramenti saluberrimi maximeq̃ necessarij & consolatione plenissimi dixit ac pronunciauit, vt certa & vera accipere ac retinere, sicut ab ipso dicta ac pronunciata sunt, sicut ab apostolis intellecta, ab Euangelistis, & Paulo Apostolo perspicuè & consensu dulcissimo verborum & sententiæ recitata, & ab Ecclesia Catholica subinde credita ac declarata sunt, etiamsi sensibus comprehendere, & rationis nostræ intelligentia complecti, demonstrare aut pingere modum non possumus, quo vel fiant ista, vel saltem videantur esse possibilia: An verò in rebus & negocijs fidei, exuperantibus omnem captum humanum, & patefactis ab ipso Filio DEI, rationis nostræ lumen qualecunque confundendum sit, & omnia quæ huic sapientiæ rationis nostræ non sunt consentanea, aut videntur esse impossibilia, imò etiam quæ, cæteris

teris paribus factura videntur implicationem aliam quam contradictionis in articulis fidei, propterea vel repudiari & abijci, ut incerta & falsa debeant, vel interpretationibus ac glossematis astute cogitatis fingenda, & in aliam sententiam transformanda sint, ut captui & sapientiae nostrae carnali, quae alias magistra vult esse ac reformatrix vocis diuinae consentanea, possibilia & credibilia videantur ea, quae voce diuina tradita sunt.

De hac alternatiua interrogati profecto ita concludimur, & a conscientijs nostris urgemur, ut fateri ac profiteri palam cogamur, multo esse iustius & tutius credere nos ei, qui & nostri, & lucis ac sapientiae in nobis fulgentis autor & creator est, quam credere aut assentiri lumini illi naturali rationis nostrae, praesertim cum & per se finitum sit, & suas circumscriptas metas, easque angustas respectu diuinae sapientiae & initio habuerit, quando nobis in creatione inditum est, & postea multo magis adeptum sit, cum post lapsum primum parentum tristissima caligine obrutum ac obscuratum fuit. Christus autem, ut Dominus omnipotens non vnum tantum, sed plurimos modos habeat ac norit, quibus facere possit ea, quae vult facere, & quae se facturum promittit, quae non modo nulla finita natura facere, sed & ne quidem intelligere ac comprehendere lumine suo naturali potest. Quibus in rebus creatura rationalis hanc creatori suo, ut soli sapienti & omnipotenti & veracissimo Domino obedientiam debet, ut sine

vt sine dubitatione ac disputatione ipsi seriò quodcunq; asseueranti ac promittenti assentiantur ac credat. Nec indulgeat aut laxet frenos nimium rationi cœcæ, vt statim impossibilia pronunciet ea, quæ comprehendere ipse nequit, atq; que ita creatorem suum quodammodo mendacij arguat, & sua sapientia se supra ipsum extollere audeat, abijciendo ac repudiando illa, quæ sapientiæ naturali absurda aut impossibilia esse videntur.

His igitur alijsq; pluribus grauissimis de causis, sentimus ac credimus simplicissimè, ac reuerentia tali, qualem à nobis deberi Deo intelligimus, cum dilectissimus Dominus noster Iesus Christus verus Dei & Mariæ virginis Filius, Redemptor & Emanuel noster panem à se benedictum, ac porrò per se vel per ministros suos fractum ac distributum, & manibus ac ore discipulorum & aliorum exceptum ac manducatum: Corpus suum nominet, pro nobis traditum, Vinum item à se similiter benedictum, & per ministerium porrectum & ore haustum, Sanguinem suum appellet, profusum in remissionem peccatorum nostrorum: Credimus inquam & sentimus, quòd in traditione ac distributione benedicti illius & visibilis panis & vini, verè ac præsertim verum corpus suum & sanguinem suum manducandum & bibendū nobis, sicut tunc discipulis, tradat, modo tamen non corporali aut naturali, sed mystico, arcano & rationi nostræ abscondito

H dito

dito atq; incomprehensibili, sine amissione tamen aut mutatione substantiæ panis & vini: Atq; ita Domino ac Redemptori nostro hunc honorem tribuimus, quòd & verax sit & verè præstet quod promittit, & ea sit omnipotenti efficacia, vt quæ promittit & offert, præstare & exhibere certò possit, & deniq; omnem sapientiam nostram, si qua est, in obsequium verbi sui veracis, & fidei nostræ captiuamus & subhincimus, remotis ac sepositis omnibus disputationibus ac quæstionibus non necessarijs de ratione aut modo, quo vel illa possible esse, vel absurda inde humanæ rationi occurrentia, euitari, vel commoda saltem interpretatione molliri possint.

Articulum etiam de Ascensione Christi ad cœlos, & sessione ad dexteram omnipotentis Patris incorruptum, & iuxta sententiam verborum natiuam amplectimur & retinemus, ac credimus firmissimè, in copulatione illa seu vnione admirabilissima duarum in Christo naturarum, etiam post ascensionem ad cœlos, & exaltationem ac glorificationem ad dexteram patris, vtriusq; naturæ proprietates essentielles esse & manere integras & impermixtas, easq; distinctas ac differentes seruari in persona illa vnica & indissolubili Domini nostri Iesu Christi: Quem verum Deum & verum hominem sedentem ad dexteram Patris vbiq; adesse, & cœlum & terram implere non dubitamus: & tamen eundem illum Dominum nostrum in corpore suo iam glorificato & immortalis: Sed vero
tamen

tamen corpore, proprietatem essentialem naturæ humanæ, quæ non admittit infinitatem, retinere credimus: Ac nihilominus in cœna vnicuique sigillatim corpus suum pro nobis traditum, & sanguinẽ pro nobis effusum dato pane & vino ipsum verè dare ac distribuere seriò affirmamus, eaque communicatione veri corporis & sanguinis sui arctissimè vniri ac coniungi omnibus hīs, qui & ipsum & beneficia eius omnia corde fideli sic apprehendunt & complectuntur, quemadmodum in hoc Sacramento seu sumptione sacramentali acceptis rebus illis visibilibus, & sine mutatione manentibus, pane scilicet & vino, corpus & sanguinem ipsius ore acceperunt & hauserunt, sicut inquit Hilarius: Hæc accepta & hausta faciunt, vt ipse sit in nobis, & nos in ipso. *+ 2. 13.*

Cùm igitur Viri Reuerendi, Pastores Ecclesiarum Saxonicarum in Transyluania, in Confessione sua, quam nobis exhiberi curârunt, doctrinam complexi sint consentaneam ac congruentem Ecclesiarum nostrarum doctrinæ ac Confessione, quæ primum ac principaliter verbo & institutioni veracis Domini nostri Iesu Christi, & consentientibus Euangelistarum & Apostolorum narrationibus & testimonijs innititur. Deinde testimonia habet perspicua ac consentientia Ecclesie Apostolicæ & Catholicæ, & scriptorum probatissimorum, ex quibus demonstrari potest manifestissimè, veteres aliquid amplius & preciosius

ciosius in Cæna Domini præfens credidisse, quàm
 communem panem & vinum, aut symbola sola
 & nuda absentis corporis & sanguinis Christi,
 ideoq; reuerentia tanta tractasse ac habuisse Cœ-
 nam Dominicam. Postremò haud dubiè commu-
 nis est sententia & consensus concionum & scri-
 ptorum publicorum Lutheri, Philippi, & alio-
 rum, qui vocem doctrinæ cœlestis incorruptam
 in Ecclesijs & scholis harum regionum hætenus
 post repurgatam doctrinam Euangelij professi
 sunt, ac propagarunt publicè, quæ eadem senten-
 tia natiua est Confessionis Augustanæ, exhibitæ
 Imperatori Carolo V. Augustæ, & omnibus Im-
 perij ordinibus. Quæq; postea in Apologia Con-
 fessionis & Articulis Smalcaldicis, & in multis
 alijs nostrorum tractatibus & scriptis sæpè repe-
 tita, & declarata est, & comprehensa est formu-
 la Concordiæ, quæ de hac ipsa controuersia inter
 Lutherum, & cæteros harum Ecclesiarum Theo-
 logos, & pastores Ecclesiarum in ciuitatibus
 Germaniæ superioris Anno 1536. composita, &
 subscriptionibus vtriusque partis confirmata est,
 quæ doctrina in his quoque Ecclesijs ac scholis
 publicè semper sonuit, & Dei beneficio adhuc
 sonat & retinetur incorrupta. Qua in sententia
 nos quoq; Deo bene iuuante, constanter perseue-
 rare decreuimus.

His igitur omnibus enumeratis, cùm innitas-
 tur & congruat hæc Transyluanorum exhibita
 nobis confessio, eam, quod ad corpus & sum-
 mam

nam disputationis & ad præcipua controuersia
momenta attinet, probamus & recipimus, & iu-
dicamus habuisse, & habere Pastores Ecclesiarum
Saxonicarum in Transyluania iustas & gra-
ues causas, quòd vicinis Superintendentibus &
Pastoribus in Ecclesijs Vngaricis, & alijs quibus-
dam doctrinam de præsentia veri corporis &
sanguinis Christi in Cœna abhœrentibus contume-
liosè, & vt Papisticam & Idolatricam condem-
nantibus, legitimo modo & mansuetudine con-
ueniente, habito etiam discrimine inter sanabiles
& dociles, ac insanabiles & pertinaces, contradix-
erunt aut contradicunt, & auditores suæ fidei
ac curæ commissos piè & grauitè præmonent, &
sine contumeliosis ac tetrìs conuitijs, quibus ani-
mi vtrinque tantùm exacerbantur, & dissipatio-
nes tristiores efficiuntur, hortantur, vt doctrinam
eorum dñudicent ac caueant, qui hoc potius
spectant, quid rationi humanæ vel absurdum &
impossibile, vel concinnum videatur, quàm quid
ferio verbo fidelis, veracis & omnipotentis Do-
mini ac saluatoris nostri Iesu Christi tribuere fide
debeamus, & quantopere obligemur, vt eius vos
ci credamus, mandato diuino seuerissimo de cœ-
lo sonante: Hunc audite. Horum inquam senten-
tiam, qui auditores suos à verbo Dei ad specula-
tiones humanæ rationi concinnas abducunt, nos
propter causas prædictas nec amplectimur, nec
docendo imitari possumus aut volumus. Infirmos
tamen ex ijs & dociles, qui sanari se sinent, non pro-

tinus abijciemus sed benignitate ac patientia descende Christi discipulos sufferemus. Quia experti intelligimus, quàm difficile sit, opinionem semel conceptam, præsertim sapientiæ rationali consentaneam, & argumentis ac similitudinibus plausibilibus, & rationi blandientibus, instillatam & impressam animis, & nobiscum veluti educatam, ac præterea aliquorum hominum, quorum excellens videtur esse aut fuisse eruditio & pietas, exemplis & approbatione stabilitam, relinquere & ex animo deponere. Sed tamen illos ipsos, vt in confessione vnici Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi nobiscum coniunctos, eo quo possumus studio amanter & reuerenter cum propter Dei gloriam, tum Ecclesiæ vniuersæ tranquillitatem, & incolumitatem hortamur & obtestamur, ne suæ rationi & lucis naturalis caliginoso ac obscuro igniculo potius assentiantur aut obtemperent, quàm illustri & purissimo verbi diuini splendori, tanquam soli eis præfulgenti ac prælucenti, quod verbum vnum & solum, vt Psal. inquit: Lucerna esse debet pedibus nostris. Ac sicut in alijs plerisque fidei nostræ articulis, qui & ipsi naturæ ac rationi nostræ videntur esse impossibiles, nec in hac caligine nostra exhauriri aut penetrari cogitando possunt, volentes & libenter saluatori ac Domino nostro Iesu Christo, *ἀΐων* coæterno æterni Patris, & Oratori primo ac disertissimo honorem hunc veracitatis tribuunt, vt ei asseueranti aliquid assentiri non grauentur; Ita in hoc quoque articulo, quem

quem vniuersa Ecclesia Catholica omnibus temporibus inenarrabile & incomprehensibile arcanum & mysterium esse iudicauit ac sic nominauit, sapientiam suam & cogitationes rationales in obsequium fidei captiuare, & huic Domino veraci subijcere conentur ac studeant, nec velint Domini huius veracis dicta & promissiones ad suos vel sensus vel captum detorquere aut deprauare interpretando. Neque etiam existiment, Apostolos & ipsorum discipulos in Ecclesia vniuersa, quæ ipsos secuta & imitata est, adeò fuisse stupidos & insensatos, vt nō potuerint ipsi quoq; plausibiles, & rationi cōsentaneas glossas aliquas excogitare, quibus hoc mysterium comprehensu & creditu facile redderent suis auditoribus & Ecclesijs, nisi iudicāssent multò esse iustius & tutius huic suo Magistro ac Domino asseueranti credere potius, quàm caliginosæ suæ & tenebris densissimis perturbatæ rationis ductum sequi, ac cum mœsto illo & gemebundo apud Marcum patre dæmoniacy, quem ipsum etiam ratio naturalis in credendo impediebat, clamare: Credo Domine, sed opem fer diffidentiaæ meæ, aut cum ipsis etiam Apostolis Dominum compellantibus, & suam atque adeò nostram omnium in fide infirmitatem tristi querela deplorantibus precari: Domine adauge nobis fidem: quæ preces directè, vt dicitur, oppositæ sunt rationi & sapientiaæ nostræ naturali impediendi & aliquando penè extinguenti fidei in nobis scintillulam, præsertim si in articulis fidei
hoc

hoc ei indulgeatur, vt tanquam ducem illam præire patiamur, ita enim ferè fit, vt suos asseclas & comites eam sequentes obscura illa flammula, non minus in abrupta & præcipitia perducatur, quàm illi fatui ignes seu lychni fallaces & erratici, qui iter facientibus nocte per sylvas densas, aut valles palustres, quasi viam monstrantes præeunt, & iam huc iam illuc à recta via abductos ludificantur tam diu, donec secuti illos in voragines delapsi, aut aquis immerfi pereant, vel saltem in auis hærentes, quò se vertant, non inueniant.

Oramus autem Deum æternum Patrem Domini & seruatoris nostri IESU Christi, & ipsum Dominum Iesum Christum Filium æterni patris, & λόγος veracem, qui hoc sacrosanctum corporis & sanguinis sui Sacramentum in consolationem nostri, & confirmationem, exuscitationem & augmentum fidei nostræ infirmæ & languidæ, & deinde ad copulationem arctissimam nostri cum ipso, & mutua omnium inter se electorum membrorum suorum, instituit ac sanciuit: Et Spiritum sanctum, à Patre per Filium nobis donatum, & per verbum auditum, & Sacramenta visibilia in nobis efficacem: Eum inquam vnicum æternum & solum verum Deum oramus veris gemitibus, vt hoc de Cœna sua sacrosancta horribile dissidium clementer tollat, & tristissima vulnera Ecclesiæ suæ ipse sanet, & omnium in Ecclesia docentium animos & pectora ad concordiam salutarem, & ipsi placentem flectat, & inter se copulet,

pulet, vt in hac postrema & tristi seculorum senecta, voce verbi sui incorrupta & ipsius beneficio inenarrabili repurgata, numerosam & magnam ei Ecclesiam colligant, & fructum copiosum omnes ferant. Ipse etiam horribiles blasphemias dilecti Filij sui & terribilem crudelitatem ac vastitatem, quam in genere humano barbaries Mahometica exercet & in visceribus Ecclesiae porro facere ac dilatare conatur, ab Ecclesijs Transylvaniae, & totius Vngariae auertat ac depellat, & earum hospitia & nidulos seruet ac protegat. Datum Vuitebergae, Anno a partu salutifero Domini nostri Iesu Christi 1561. die diui Andreae, quo ante annos 134. natus est laudatissimus & potentissimus Princeps ac Heros CASIMIRVS Iagellonis filius, Dux Magnus Lituaniae, Serenissimi & Illustrissimi Principis Iohannis Secundi, Electi Regis Vngariae, proauus maternus, qui Vladislao fratri a Mahometicis bestijs in pugna Varnensi interfecto successit, & Rex Poloniae factus Regnum Paternum diu tenuit & amplificauit.

L. D.

I DECA-

*DECANVS ET COLLEGÆ
Theologicae professionis in Academia
Lipsensi.*

IOHANN: Pffeffinger, Theologiae D. & eiusdem facultatis Decanus, Senior, atque Ecclesiae Superintendens, manu propria subscripsit.
Andreas Knauerus D. manu p. subscripsit.
Henricus Salmut D. manu propria subsc.
Petrus Helborn D. manu p. subscripsit.
Andreas Freyhube D. subscripsit.

*DECANVS ET COLLEGÆ
Theologicae professionis in Academia
Vuitebergensi.*

Paulus Crellius D. Decanus, facultatis Theologicae in Academia Vuitebergensi subscripsit.
Georgius Maior D. & Senior facultatis Theologicae in Academia Vuiteb. subscripsit.
Paulus Eberus K. S. Theologiae Doctor, & Pastor Ecclesiae Vuitebergensis.

Imago
BONI PASTORIS,
AD CHRISTVM
MVNDI SALVATO-
rem accommodata:
Iohan. 10.

16^a
8

CARMINE DESCRIPTA
à
CHRISTIANO SCHESAEQ,
Pastore Ecclesiae Mediensis
in Transyluania.



h. III. 733

ANNO

M. D. LXXVIII.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include a title and author information.

CHRISTIANUS...
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include a title and author information.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include a title and author information.

M. D. LXXIII.
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include a title and author information.



CLARISSIMO
ET PIETATE INSIGNI,
DEQUE ECCLESIA FILII
DEI PRÆCLARISSE MERITO
VIRO, D. NICOLAO SELNECCERO,
Pastori Ecclesiæ Dei in vrbe Lipsensi, ac
sacræ Theologiæ Doctori, D. &
amico Charissimo.

Salue Lipsiaca verbi plantator in vrbe
Selneccere sacri, sospes & esto pijs:
Etsi tot curis tantisq; laboribus angi,
Teque premi officij mole potente sciam:
Quando tuam attonitis Academia sensibus audit
Vocem de rebus differuisse sacris:
Quando Periclæo te vel sermone tonantem,
Miratur sacro foemina virque loco:
Quando vel interpres sacrûm, monumenta, librorum
Victura, ingenio prosperiore, facis:
Attamen hisce meis tua visere limina scriptis
In te sincerus, fidus & vrsit amor.
Censuram scriptis de nostris propter amicam,
Quæ quoque sunt iusti publica facta tuo.
Quoûe probem verum certis & tester amorem
Indicijs, aliquot perspicuisque notis.
Hæc tibi pro meritis inculto carmina plectro,
Ante annos aliquot scripta dicata volo.
Res hîc Bucolicis quamuis tractata figuris
Multa monere pios, multa docere potest.

I 3

Cumque

Cumque sequare boni exemplum, & vestigia Christi
Pastoris, tibi sint hæ, mea dona, notæ.
Lætior ista leges, cum quod de fontibus hausta,
Eque tuis ea sint pleraque scripta libris:
Tum quod longinquis procul hæc mittantur ab oris,
Quæ vicina nimis sunt loca Turcigenis.
Hic nomen, tua lausque viget, tua fama, tuusque
Tempore non vlllo deperiturus, honos.
Sicque vale summi constans Athleta Tonantis,
Diuini speculum norma typusque gregis.

V. Excel.

Christianus Schefæus, Pastor
Ecclesiæ Mediensis, dedi-
tissimus amicus.



IMAGO BONI PASTORIS,
AD CHRISTVM
SALVATOREM MVNDI

ACCOMMODATA

Iohan. 10.

PASTOR habet tutam, quæ cingitur undiq;
caulam
Cratibus, ut nequeant vi penetrare lupi:
Sic præbet tutos Ecclesia sancta receptus,
Ne noceat Sathana vis inimica, p̄ys.

Fœlix ô nimium speciosa palatia quisquis
Illius excelsæ seruat amatq; domus.
Hæc petra inuicta est, nullo quæ turbine verti,
Pressa nec Oceani mole perire potest.
Præstat in hac vilem spretumq; fuisse ministrum,
Splendida quàm mundi regna tenere, domo.
Gratior hîc una est quàm millia multa dierum,
Hîc pax, hîc requies, vita, salusq; vigent.
Fructifera sterilis desectus ab arbore ramus
Aret, nil succi, nilq; vigoris habet,
Ni fœto insertus trunco coalescat in unum
Corpus, ab hoc vires, robur, opemq; trahat:
Sic nisi quem proprium nutrit Ecclesia fœtum
Suscipiat gremio confoueatq; suo,
Mortuus est: certisq; vagans sine sedibus erro,
Sanctaq; cui celsæ clauditur aula domus.
Turba velut tumidis perit obruta fluctibus omnis,
Cui non perfugium præbuit arca Noe:
Haud secus à Christi quicumq; recedit ouili,
Fit Phlegethontæo præda petita lupo.

Conueni

Conuenit huic ergo nos semper iungere ouili
Pectore, doctrina, moribus, ore, fide.

I I,

Herbida pastor oues per pascua ducit inermes,
Aridaq; irriguo guttura fonte leuat.
Pascit oues Christus diuini dogmate uerbi,
Quo cibus haud anima gratior esse potest.
Vox Domini uelut est panacæis consitus herbis
Hortulus, æterno ueris honore nitens:
Hoc licet irriguo decerpere pabula prato,
Mæsta quibus certa corda leuentur ope.
Pauper es, & metuis ne te fera cogat egestas,
Impia, per fraudes, lucra parare tibi.
Disce hinc, deficient Dominum bona nulla timentis,
Machina cui pandit totius orbis opes.
Naufraga siue grauet scelerum tua pectora syrtis,
Vindicis exhorrens fulmina seua Dei:
Crede tibi nunquam tua crimina tecta nocebunt,
Agnus enim innocuus sustulit illa Dei.
Seu nimium mortis te pallida terreat umbra,
Tartarus & patulo gutture semper hians:
Mors nec habet vires valido prostrata duello,
Est somnus, uitæ porta, quiesq; pijs.
Ruptus & inferni carcer, captiua refudit
Agmina, cœlicolûm regnaq; leta dedit.
Cætera corpus alunt alimenta caduca, caducum,
Sapius & stomacho sunt onerosa suo:
Quod sub pane datur Christi venerabile corpus,
Verus in uuarum quicq; liquore cruor:

Æterna

*Aeterna confert credenti gaudia vita,
Erigit in pauido corde, fouetq; fidem.*

III.

*Et vigiles, pellant qui noxia monstra luporum
A grege Balantum, deligit ipse canes.
Aetherea Christus demittit ab arce Prophetas,
Quos contra hereticos bella mouere docet.
Armat & exornat praclaris pectora donis
Pluribus & varijs numine plena sacro.
Cancer ut adductis serpentum lubrica chelis
Colla premit, nec ei dira venena nocent:
Hereticos capiunt imitantes Prothea formis,
Perplexè possunt nil valuisse strophæ.
Insidia emergunt, patefit dolus omnis iniquus,
Quemq; ferus, texit pellis ouina, lupus.
Si scelus immineat gregibus contagia ducens
Longius assidua voce tonante fugant.
Quæq; suos atas habuit peruersa docentes
Dogmata, pestiferas dissidijsq; faces.
Opposuit quibus armatos virtute Prophetas
Aetherea, inuictos artibus eloquij.
Agmine perdomuit Baalitica Thesbius Augur,
Impia cum Iudæ sceptrâ teneret Achab.
Niliaci ante illum Moses malefacta Tyranni
Arguit, ipsius vidit & interitum.
Sic Phariseismum victa pietate professos
Elingues Christus compulit esse duces.
Cætus Apostolicus, qui postq; fuere sequuti,
Hereticum varios comminuere dolos.*

K

Delyri

Athanatos tetri contrarius artibus Arrij
Te veram sobolem Christe ait esse DEI.
Quanta Sophistarum pater Augustine refutas
Agmina Pelagium, quæq; secuta Manen:
Quid veteres? tulit & tempestas ultima mundi
Doctrina insignes & pietate viros.
Qui Sathana inuisum conati euertere regnum,
Fronde triumphali tempora cincta gerunt.
Lutherus trifidam fecit titubare coronam
Et Monachum rupit viscera crassa Pape.
Eruit è tenebris artes linguasq; Melanthon,
Ostendens Methodum qualibet arte breuem.
Et reliqui Augusta quicumque sequuntur in vrbe
Casari, & ordinibus, scripta data, imperij.
Est tuba doctorum vox exaltata piorum
Frigida qua terret corda mouetq; gregis.
Ut vitent sacro contraria crimina verbo,
Nec prater licitum, fasq; piumq; probent.
Hinc est absq; metu scelerata quod acta potentum,
Voce Deum interpres, liberiore notat.
Nec mundi fastum, nec opes, nec curat honores,
Quidue Sathan, mundus vel furiosus agat.
Sunt timidi mutiq; canes arcere latratu
Cessantes, rabidos multiuorosq; lupos.
Pacifici vulgò dicuntur & esse modesti,
Byssina qui norunt, blandaq; verba loqui.
Pectore calantes aliud quam voce loquuntur
Gnathones, Regum mobilis aula probat.
Grata minus medicus medicamina porrigit agro
Ipsius ut vita consuluisse queat.

Ampuras

*Amputat interdum, vel adurit inutile membrum,
Ut reliquum corpus sanius esse queat.
Vulnera cur anima, longè grauiora, dolentis,
Attingi patitur non magis ager homo?
Quid quod Apostolicum saluator munus acerbo
Mordaci & nimium, comparat ipse, sali?
Scilicet ut vitijs hac dura aspergine fœdis,
Seruet ab interitu pectora plena putri.
Fit castigando sapiens sapientior, amens
Stultior, at multò peior & asperior.
Ille ter est felix, inuicta mente furores,
Qui mundi, & Sathana fulmina ferre potest.*

IIII.

*Interdum plenis inflata & fistula buccis,
Pascentes dulci carmine mulcet oues.
Tristia mellifluis demulcet pectora verbis
Christus, nil istis suauius esse potest.
Ad me omnes properate precor quibus anxia mens est,
Et graue peccati terret & vrget onus.
Vos ego solabor, certam præbebo medelam,
Solutus pax hominum, sum via, vita, salus.
Vsq; adeò miserum syncerè diligo mundum,
Charior ut fuerit non mea vita mihi.
Ille ego labe carens, sum purus, & integer agnus,
Crimina qui mundi deleo morte mea.
Vestra meo gessi cum plagis crimina tergo,
Culpa grauis ne vos pœna vel vlla premat.
Hoc, quis contentus? quæ Musica gratior vnquam
In terra, Superùm nota vel arce fuit?*

V.

Pastor ouem multo turgentem vellere tondet,
 Tonsa sed apparet turpius esse pecus,
 Sic damnosa grauat nimium cum corda voluptas,
 Hanc Christus resecat ceu mala damna nimis.
 Sub cruce dilectos sibi saepe exercet amicos,
 His nihil ut mundus turpius esse putet.
 Vulnerat ut sanet, premit ut super aethera tollat,
 Quò magis exhilaret, saepe dolere facit.
 Est ubi crux, ibi lux, sequitur victoria pugnam,
 Ut redit ex acta nocte serena dies.
 Maior in exilio Iudae gloria gentis,
 Quàm sede in patria tempore pacis erat,
 Indicium crux est, & tessera certa piorum,
 Qua nosci à reprobis colluione queunt.
 Decipitur vana veluti delusus ab umbra,
 Qui specie iustos exteriori probat.
 Omnem mundiciem caelestis filia Regis
 Intus habet, fulget gloria rara foris.
 Iustitia induta est vestimentoq; salutis,
 Lucifero ante DEVM splendidiusq; nitet.
 Nouit rite DEVM, spe cuncta pericula vincit
 Inuictum robur suppeditante fide.
 Non ita gemmato formosa coruscat amictu
 Ante oculos sponsi blandaq; sponsa sui.
 Audet in aduersis, proles ut amica parentem
 Dilectum, precibus sollicitare DEVM.
 Sentit viuificos tentato in pectore motus,
 Quos operans sanctus spiritus intus agit.

Si qua

VI.

*Si qua per umbrosas errauit ouicula syluas,
 Impositam tergo fert in ouile suum.
 Longius haud extra patitur sua septa vagari
 Quas propria Christus morte redemit oues.
 Errantes reuocat, charisq; amplectitur vlnis,
 Inuenta toto corde triumphat oue.
 Respice suscepit quanta bonitate Zachæum,
 Qui multas vetita fraude coegit opes.
 Periura Petrum ter & ipsum voce negantem
 Erigit, illius crimina cuncta tegit.
 Fecerat obsceno meretrix qua corpore questum,
 Hoc duce perpetuae dona salutis habet.
 Conuerso donat regnum caeleste latroni,
 Dum veniam moriens supplice voce petit.*

VII.

*Fertq; pedum manibus, quo terret & atterit hostem,
 Qui voluit charum dilaniare gregem.
 Fertq; humeris Christus sceptrum crucis, ardua ligna,
 Hoc baculo Stygium concutit ipse ducem:
 Hoc mortem vicit, Sathanamq; hoc fregit Auernum,
 Hoc vis peccati saeva perempta iacet:
 Nemo meis rapiet teneros ab ouilibus agnos,
 Christus ait, verus dux ego semper ero:
 In caelo est, terrisq; mihi data summa potestas,
 Omniaq; ad nutum stantq; caduntq; meum.
 Aut ego, vel saui succumbent Marte Tyranni,
 Hac mea non hosti viscera edenda dabo.*

*Murus ero circum, praesensq, tuebor inermes,
Seu terra ingruerit, siue procella mari.
Imò pilus modici neq, velleris vnus inultus
In terram Domino non cupiente cadit.*

VIII.

*Proq, salute ouium discrimina nulla recusat
Pastor, fert pluuias, cumq, calore, niues.
Et Christus rigide subit acria vulnera mortis,
Vt miseras tristi funere seruet oues.
Sputa, crucem, funes, probrosam, flagra, coronam,
Cunctaq, pro mundi damna salute tulit.
Christe tui cœtus semper fidissime custos,
Lumina cui nunquam victa sopore iacent.
Nos rege, conserva, defende potenter ab hoste,
Pro nobis alius praelia nemo gerit.
Et fac cœlesti tecum viuamus in aula,
Amplius est ubi vis nulla timenda pijs.
Hoc largire mihi: tu plura petentibus adde,
Viuere sub scuto me sine, Christe, tuo.*

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.



Aug VI 50 (1)

ULB Halle 3
003 507 629



f

Sb.

Relics ✓

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

CONFESSIO
CCLESIARVM
AXONICARVM IN
TRANSYLVANIA, DE
COENA DOMINI:

7 10
ac Hungaricis
pagina sequens.

ANNO 1561, MISSA, ALLATA,
ET EXHIBITA ACADEMIIS,
LIPSENSI, VVITENBERGENSI,
ET ROSTOCHIANAE.

ET HARVM DE ILLA
CONFESSIONE

CENSURA,
NECESSARIA HODIE ET
vtilis omnibus veritatis & pietatis
studiofis.

Cum breui prefatione
NICOLAI SELNECCERI D.



LIPSIÆ
Excudebat GEORGIUS DEFFNER,
ANNO

M. D. LXXXIIII.

10. 732

